VELIFICATIO SEV

THEOREMATA DE ANNO ORTVS AC MORTIS DOMINI, DEQVE VNIVERSA IESV CHRISTI IN Carne Oeconomia.

QVÆ AD BACCALAVREATVS IN SACRA THEOLOGIA LAVREAM in Alma Græcenſi Academia in diſputationem adducit REVERENDVS DOMINVS *& eruditus Artium liberalium ac Philoſophiæ Magiſter*

LAVRENTIVS SVSLYGA POLONVS.

PRÆSIDE

R. P. IOANNE DECKERIO, SOCIETATIS IESV SS. THEOLOGIÆ DOCTORE, AC DICTÆ VNIVERSITATIS CANCELLARIO.

Magnus dies Jezrahel, Oſeæ 1. v. 11. Et quis poterit cogitare diem aduentus eius, & quis ſtabit ad videndum eum? Malachiæ 3. v. 2.

PASSVS EST DOMINVS AB XI. CAL. April. Quâ nocte à Iudæis traditus eſt & ad VIII. Cal. reſurrexit.

ISTA SYNODVS CÆSARIENSIS NOMINE S. Victoris Papæ & Martyris apud Bedam in libro de Ratione temporum cap. 45. 49. & 65. & in opuſculo de Æquinoctio Verno.

GRÆCII, Excudebat Georgius Widmanſtadius, 1605.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

9. 8. B. 16

S. Auguſtinus lib. 1. de Trinitate cap. 2. & 3.

NEC PIGEBIT ME SICVBI HÆSITO QVÆRERE; NEC PVDEBIT SICVBI ERRO DISCERE. PROINDE QVISQVIS HÆC LEGIT, VBI PARITER CERTVS EST, PERGAT MECVM; VBI PARITER HÆSITAT, QVÆRAT MECVM; VBI ERROREM SVVM COGNOSCIT, REDEAT AD ME; VBI MEVM, REVOCET ME.

Digitized by Google

INVICTISSIMO REG

DIVO

SIGISMVNDO

III. REGI

POLONIAE,

SVECIÆ, GOTHIÆ, VANDALIÆ, &c.

MAGNO DVCI LITVANIÆ, &C. DOMINO MEO LONGE CLEMENTISSIMO.

Vitam, Victoriam, Fælicitatem.

MOLESTVM FVIT olim & periculoſum in Gymnaſiorum Exedris de hominis fælicitate certamen, & Marco illo Varrone teſte in ducenta ſupra & octoginta partium ſtudia diuiſum. Sed beatus nemo ſine pietate vnquam fuit, quæ cum ad omnia vſum pręſtet, ſibiĳpſa tamen maximè adminiculatur. Quo magis miran-

Digitized by Google

uum, gentilitatis Philoſophos pietate neglecta tam acerbũ pro fælicitate certamen certaſſe. Sed errauerint infælicia illa ingenia, & fælicitatẽ quæ orbem, aut reliquerat, aut latuerat, aut cum paucis habitabat, non inuenerint. Nimirum intra nos ſacer ſpiritus ſedet, ait rigidus veritatis arbiter, malorum bonorumq; noſtrorum obſeruator & cuſtos. Hic prout â nobis tractatus eſt, ita nos ipſe tractat. Bonus fælixq; ſine Deo nemo eſt: ille dat conſilia magnifica, & recta, quibus fælicitatem agnoſcamus, amplectamur. His quæ propoſui SIGISMVNDE REX, tibi te ante oculos poſui REGEM Pium, verè fælicẽ, ſacri Spiritus ſedem, illiuſq; arcano quodam gratię ſenſu & impulſu veram fęlicitatem conſilijs rectis & magnificis eruditum, expertum, & ſupra labẽtis Fortunæ rotam ſecuro poſitu collocatum. Tu nimirum

pieta-

Digitized by Google

pietate fælix eſſe voluiſti nec tibi duntaxat, ſed tuis, ſed regno, ſed Eccleſiæ. Quantas hæreſes obtruncaſti? Domi, foris, in Polonia, in Ruſsia, in Liuonia. Quam vetera Rutenorum Antiſtitum cum Romana ſede Schiſmata ſuſtuliſti? Habes facti huius illuſtrem præconem, ſcientia, dignitate, fama, omni ornamẽtorum genere cumulatiſsimum, elucidandis Eccleſiæ Annalibus natum Cæsarem Baronivm Cardinalem, cuius ſtylo, cælo terriſq; impreſſum ſæcula vetant mori. Proprias pietatis ædes quã magnifico ſumptu, quàm eleganti cultu conſtruxiſti, ornaſti? Cumq; ſeptingentas Deo Baſilicas erexeris (nihil gratiæ cauſſa exaggero) Cracouienſe tamẽ anteeminet templum quod Patribus Soc: Iesv Regia munificẽtia paras ſpeculum Romani, viuam pietatis tuæ imaginem, & nunquam interiturum beneuolentiæ

...mentum. Nec pios tantum parietes emoliris, ſed multo etiam magis diuinos procuras heroas, qui pietatem Templorum, & hominum ſua religione contineant, tueantur, promoueant. Hæc itaq; fælicitas tua, tuorumq; ſpem maximam faciunt vt ad beatitatis cumulum, SVECIÆ maiorum lege tibi debita Corona ad caput aliquando tuum, ſuamque reuertatur originem: & MOSCHOVIÆ barbaries, Fidem, & Romanã tuis aut conſilijs, aut armis capeſſat diſciplinam. Sacer Spiritus qui animum tibi inſidet, & conatus fortunat, huc te ſenſim comitatur. Illò te frequentes contra Tartarorum gentem præcurrunt victoriæ; Eò tua cum Auſtriaca domo arctiſsima vocant fædera. Quis ſcit quo omine craſtinus Titan cęlum aſcendet: occultus veniet & ignotus, qualis iſcunq; ſit dies in quo fortunæ tantæ latent, & ſpes ſperata

appa-

Digitized by Google

apparebit. Hanc ergò vberem fælicitatem quæ pietate maximè continetur aceruare me poſſe coniectaui, ſi eum adijcerem cumulo qui omnis pietatis & fælicitatis fons eſt & ſub cuius

Naſcentis primum pueri iam ferrea dudum
Deſijt, ac toto nata eſt gens aurea mundo

Chriſtum inquam Saluatorẽ Sereniſſime REX in ijs Maieſt. V. periſtaſibus offero, quæ ob annorum quidem interuallum veteres, ſed ob veritatis iucunditatem recentes ſunt maximèq; opportunæ; vt hominum erga Deum cultus, & religio excitetur. Qua tota in re ita per priorum eo veſtigia, vt tamen in veteri via nouam obambulem ſemitam, & cum nulla dicam noua, nouè tamen dicam omnia. Nec id mearum nixus remigio pennarum, ſed Theſeo vſus Præceptore meo atq; huius almæ Academię CANCELLARIO; qui cibũ hic mihi pręman-

manſum in os inſeruit. Non nos cuiquã mancipauimus, nullius nomẽ ſerimus, Multum magnorum virorũ iudicio tribuimus, aliquid & noſtro vindicamus. Auctorem neminem vnum ſequimur, ſed quemadmodũ exemplũ monitumq; nobis præbuêre ſapientes, vt quemque veriſsimum in quaq; parte arbitramur. Parati omni poſcenti nos de illa quæ hiſce noſtris ineſt Epicherematis doctrina reddere rationem. Maieſtatem V. Rex Opt: Max: cæleſte Numen in fælicitate omnibus bonis ſaluam victricemq; conſeruet, ſpem etiam votumq; remuneret perinde celeriter, ac largiter, & fæliciter. Græcij, ex Vniuerſitate Archiducali Cal. Ianuarij, Anno M. DC. V.

Mtis. V. Regiæ

Æternùm mancipatus
ſeruus & cliens
M. LAVRENTIVS SVSLYGA.

Digitized by Google

S. CYRILLVS HIEROS. CATECHESI XIII.

Accipe primum Immobile fundamentum Crucem, & in eo reliqua fidei ædifica.

Prologus galeatus.

PRECIVM OPERÆ DVXI, VT IN noſtrarum veſtibulo Theſium Apoſtolicæ declarationis penderet Tabella; quâ mille ſuper & quadringentos ante annos in Synodo Palæſtina cui nomine Victoris Papæ & martyris S. Theophilus Cæſarienſis Præſul præſedit dies mortis atque anaſtaſis definita eſt Saluatoris, literiſq; ac monumentis conſignata. Quò iuxta mecum omnes intelligant, non eam nos in Hodæporico CHRISTI inire viam, quæ nullius præuij ductoris ſit impreſſa veſtigijs, ſed illam quam à ſuis calcatam maioribus, noſtri pariter maiores tritam nobis reliquêre, ac illos nos conſtet ſequi duces, qui vt Apoſtolorum Temporũ fuêre proximi, ita extra omnem falſitatis ſunt ſuſpicionem & nouitatis calumniam. Hoc verò nunquam ſatis vel laudato, vel memorato Apoſtolicæ ſedis decreto, per vniuerſam Chriſti Redemptoris noſtri Chronologiam vltrò citroq;, nihilo ſecius ac Ariadnæ quodam aut Theſei filo per gyrum ac ambages Dedalei labyrinthi progredimur tuti atq; regredimur. Siquidem auctoritate tantæ Synodi omnes conſtringuntur, quotquot communi Eccleſiæ vinculo ſub vno Chriſti in terris Vicario coniunguntur. Ex omnibus

Digitized by Google

fundamentum. Quodſi ex vnicâ pedis plantâ quantus fuerit totus Hercules coniectura aſſequi potuit antiquitas; quanto erit procliuius, ex tot tantiſq; veſtigijs quæ velut illuſtres orbitas viarum ſuarum indices in Euangeliſtarum codicibus multifariam Chriſtus reliquit impreſſa, vniuerſum eius conijcere hodæporicon. Præſertim cum anno illo quo cruci ſuffixus eſt Saluator, ritè ſemel collocato ſponte ſua ſequantur omnia, non trahantur. *Dies diei eructat Verbum* & annus anno indicat ſcientiam; dum annus anno aurea quadam innexus catena, ad alium confeſtim ex alio rectà perducit ac pertrahit; nec aliter atque Cherubini quidam non tantum conuerſis vultibus, alter ſemper alterum reſpectant, ſed & conſertis manibus perque mutua nexis pulcherrimã conſtituunt choream. Vt iam reuoluto veluti lapide de oſtio monumenti, diſcuſſiſq; tenebris, & exorto Sole, cum ſanctis Mulieribus intueri fas ſit ac introire monumentum, & quaſi abſque velamine & non per nebulam contemplari, quàm reliqua ad annos & Oeconomiam quæ ſpectant ſaluatoris ſuapte indole prona reddantur omnia atque manifeſta. Sententiam omnem hac de re meam paucis comprehenſam theorematis, & more laudatarum iam recepto Academiarum breuicolis illuſtratam ſcholijs, doctorum virorum examinandam iudicio in medium propono. De quâ Artificum peritorum cum Halycarnaſſæo ferre iudicia poſſum; habiturus etiã gratiam & cantatâ Palinodiâ porrecturus veritati herbam ſiquis veriora indicabit. Res quippe inexpugnabilis eſt veritas & inſuperabilis Chriſtus Patronus Veritatis *Nomen eius verbum Dei, fidelis & verax & cum Iuſtitia iudicat & pugnat.* Apocal. 19. v. 11.

Pſalm. 18. v. 3

Digitized by Google

Uniuerſam hanc de SALVATORIS *noſtri magni Dei Oeconomia diſſertatiunculam quadrifariam viſum eſt diſpeſcere. Prima pars Pueritiam, ſeu primum eius duodecennium complectetur. Altera triennium prædicationis, quâ in ætate virili ac perfecta conſtitutus eſt Rex ſuper Syon montem ſanctum, prædicans præceptum* DEI. *Tertia Annum, Menſem ac diem continebit dominicæ mortis ac reſurrectionis. Quartâ in Chriſto oſtendetur ad perpendiculum fuiſſe completũ, quicquid in ſeptuaginta hebdomadarum Danielis vaticinio fuit prædictum. Horum porro optica in Tabula Apodixis, & vt dicitur* ὡς ἐν πλάτει *contemplatio proprium ac ſeparatum ſyntagma deſiderat.*

Pſal. 2. v.6.

PARS

Digitized by Google

PARS PRIMA

PVER IESVS.

I.

NAtalem vrbis, vnius libelli iuſto volumine, ingenti cura ac ſolerti ingenio, variaque eruditione, eloquentiæ pari complexus eſt Cenſorinus. Tantum apud Romanum valuit Natale Vrbis, totum vt ſe dederet eius diſquiſitioni, ac penitus deuoueret. Vt equidem turpiſſimum videri debeat Chriſtianis ſi diem, annumque ortus & mortis eius, cuius ſunt, quæ vbique ſunt omnia, quique Vrbis & orbis atque vniuerſorum eſt Dominus, cæcis quibuſdam inuolutum obſcuritatibus, atq; in Democritico ſinant obliuionis puteo iacere demerſum. Sed cum lucis principia paulatim in ſcientijs monſtrari oportere, ne toto lumine obiecto magis caligent quam colluſtrentur oculi, & admoneant ſapientes & magiſtra rerum teſtetur experientia, in his via regia doctrinæ & à notioribus progrediendum erit. Quoniam itaque diuino ſic viſum eſt Numini vt Auguſto rerum potiente & Iudææ regnum adminiſtrante Herode qui tranſtulit ſceptrum de Iuda, perſonam & formam ſerui atque operis ſui effigiem, DEVS auctor aſſumeret, ſtrictim quoque de his aliquid eſt prælibandum, quaue olympiade, quibuſue Conſulibus & anno Iuliano regnum inierint, atque finierint pro hypothemate aſtruendum. Quod enim veriſſime ſcriptum eſt ab Auguſtino. *Per olympiades & Conſulum nomina multa ſæpe quæruntur à nobis & Ignorantia Conſulatus quo natus eſt Dominus & quo paſſus nonnullos coëgit errare*; hoc ipſum ad annos Principatus Auguſti & Tiberij Cæſarum, Regiſque Herodis ac Syriæ Præſidum, & Procuratorum Iudææ atque Pontificum ſub quibus natus & paſſus eſt Saluator extendere poſſumus & debemus.

Auguſt. li. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 28.

II.

Etſi namque Romani Imperatores & Conſules, Prouinciarumque Præſides atque Proconſules, Chriſtianæ religionis ſole ac vera fidei luce, virtuteque deſtituti, flagitiorum ſuorum veſtigijs omnia pene Mundi regna, municipia, præfecturas colonias, or-

Digitized by Google

bem denique vniuerſum impreſſerint, & cum illis fornicati ſint Reges Terræ & inebriati qui inhabitant Terram de Vino proſtitutionis illorum: attamen hæc ex illis ad omnes poſteros dimanauit vtilitas, vt recto nos tramite in annorum ac ſæculorum notitiam deducant: & vt nihilo ſecius atque extantes lapides, Viarum indices in multiplici itinerum anfractu haud ſinant nos per deuia ferri, ſed manu quodammodo ducant ad lapidem ſummum angularem, electum, pretioſum, præciſum de monte ſine manibus & in vertice montium velut ſignum ad ſagittam erectum gentibus. Vſqueadeo vt rectum in hodæporico Chriſti tenere curſum nemo diu poſſit, ſed ilico in lapidem offenſionis & petram ſcandali ſit incurſurus, quiſquis non aſſiduè & irretortis oculis prominentes has æras Itinerum duces fuerit contemplatus: quine non ad ludos ſæculares, Vrbiſque ac Nabonaſſaris annos, faſtoſque Conſulares, Æramque Auguſtæam, Iulianam & Dionyſianam, ac probam harum inter ſe colligationem Epocharum, nec non ad Cyclum Solis & Lunæ, atque Epactam & indictionem, literamque dominicalem & Martyrologij, perpetuò reſpectum habuerit. Quare & hic locum habet quod 3. Regum cap. 6. legimus. *Oſtium lateris medij in parte erat domus dextræ, & per Cochleam aſcendebatur in ſuperius cœnaculum & à ſuperiore in tertium.*

Apocalyp. 17. verſ. 2. — *Iſaia 28. v. 16.* — *1. Pet. 2. v. 7.* — *Dan. 2. v. 34.* — *Iſaia 30. v. 18.*

III.

Igitur menſis ac dies qui Domini ac Dei noſtri natalis in terris fuit, & quo exultauit ſicut Gigas ad currendam Viam, à ſummo Cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad imum Virginis thalamum multò nobis quam annus notior eſt, quo DEVS dedit benignitatem & Terra noſtra dedit fructum ſuum. Ambigit verò in Theeteto Plato, *Vigilemuſne aliquando an ipſum vigilare quod dicitur, ſomni ſit perpetui portio.* Cuius dubitationi haud eſt abſimilis altera, qua in maxima ſanctorum Patrum luce ambigi cæptum eſt à nonnullis, Æſtatene an hieme ſit natus Dominus, & in Verene vel in Autumno conceptus in Vtero. Quæ leuiſſimæ opinionis nouitas non niſi à malo potuit genio eſſe conficta, eo conſilio vt pereunte recordatione ac ſolennitate diei quotannis celebrare ſoliti, quam omnium feſtiuitatũ metropolim iure appellat Chryſoſtomus, pereat nobis quadantenus dies in qua natus eſt Dominus

Pſalm. 18. — *Pſalm. 84.* — *Chryſoſt. ſerme de B. ...io.*

nus & nox in qua dictum eſt, Devs conceptus eſt homo. Quare ne occupet eam caligo & inuoluatur tenebris ignorantiæ, qua illam nota à Patribus inſignitam accepimus, eâdem ſartam tectam conſeruari literiſque ac laudibus æternari volumus. Die quippe XXV. Martij in æquinoctio verno conceptus eſt ex Maria Virgine Dei filius, & die XXV. Decembris in ſolſtitio brumali *egreſſus honeſtiſſima, Virginis matris clauſula.* Domini porro Præcurſor S. Ioannes baptiſta in Autumnali æquinoctio conceptus, & in ſolſtitio eſt natus æſtiuo. Quæ & vna omnium eſt catholicorum æſtimatio & vetuſtiſſimo totius Chriſtianitatis vſu & conſenſu atque traditione firmata, atque ad nos vſque iam inde à primis vagientis Eccleſiæ annis & ab ipſo die Virginei conceptus & partus abſque vlla interpolatione fideliter tranſmiſſa. Quo fit vt nimium altis fixa radicibus eccleſiaſtica hæc inhæreat διαδόσεις, quam vt luxare aut quoquo modo conuellere eam ingenium queat humanum. Quippe cui ſapientis quadret encomium.

Ille velut Pelagi rupis immota reſiſtit. *Æneid. 7.*

ANNOTATIO I.

Non eſſe nouitiam vel nuperam ſed veriſſimam vetuſtiſſimamq́ hanc Chriſtianorum Traditionem, teſtimonio eſſe poteſt Clemens Romanus, vir Apoſtolici ſpiritus & ani, quiq́ generalia omnia concilia aliquot ſæculis anteceſſit. Is verò lib. 5. Apoſtolicarum conſtitutionum cap. 12. aliàs 13. feſtum Natiuitatis Chriſti die ſemper 25. Decembris ſolitum in Eccleſia celebrari teſtatur. Illo autem die natum, & 25. Martij conceptum Dominum non tantum aſſerit; ſed etiam pro Traditione recipit S. Auguſtinus libro 4. de Trinitate cap. 5. lib. 83. quæſtionum quæſt. 56. & lib. 65. quæſtionum quæſt. 26. & ſuper Pſalmum 132. ſimiliter & Chryſoſtomus homilia de Natiuitate S. Ioannis Baptiſtæ, & iterum homilia dè Natiuitate Domini vbi aſſertionem iſtam hoc ſuo chirographo ſubſignat. Non ſunt noſtra quæ loquimur: Maiorum ſententia eſt. *Conſentiunt proinde his Athanaſius quæſt. 54. alias 17. ad Antiochum, Paulus Oroſius lib. 7. cap. 2. Seuerus Sulpicius lib. 2. ſacræ hiſtor. D. Leo ſermone 1. de Natiuit. S. Fulgentius ſermone 1. de S. Stephano. Caſſiodorus ad illud Pſalmi 117.* Hæc dies quam fecit Dominus. *S. Gregorius magnus homi-*

Digitized by Google

homilia 8. in Euangelia, idemq́ insinuat homilia 38. in Euangelia & lib. 4. dialogorum cap. 16. Anaſtaſius Nicenus quæſt. 92. in ſcripturam, Petrus Chryſologus ſermone 159. Præterea Martyrologium Romanum, Bedæ, Vſuardi, Adonis omniumq́ cæterorum qui ſicuti & ſancti Patres ad vnum omnes in ſuis homilijs, præſupponunt ceu rem vel puero notiſſimam, Chriſtum in hieme 25. Decembris natum, & 25. Martij fuiſſe conceptum. Taceo D. Bernardum, S. Thomam, Albertum, Lyranum, Cedrenum, Alexandrum Monachum alioſque innumeros. Vnum ſilere non poſſum ſine flagitio quod inſtar multorum ſit, omniumq́ antiquiſſimus. Euodium dico qui D. Petro Apoſtolorum principi in Antiochena ſede ſuccenturiatus, eandem Traditionem agnouit: Teſtatur id Nicephorus lib. 2. hiſt. cap. 3. Quin & vulgarem hanc fuiſſe gentilium opinionem, acta Martyrũ quæ ad Annum Chriſti 301. Illuſtriſſimus S. R. E. Cardinalis & ornamentum Cæſar Baronius recenſet, fidem faciunt. Illis enim memoriæ proditum eſt, Paganos in feſto Natalitiorum Domini adiiſſe ad Maximianum Herculeum, atq́ in hæc verba interpellaſſe Imperatorem. Quoniam Imperator hodie feſtorum quæ norunt maximum celebrant Chriſtiani, vt qui hodie DEVM ſuum natum eſſe fabulantur, & celeberrimo totius populi concurſu ad feſtum conueniunt, &c. *Videt ex his Lector, quam vetuſta ſit hæc Chriſtianorum conſuetudo, quotannis Natalitia ſaluatoris, totius concurſu Populi concelebrandi & quidem die 25. Decembris. Quæ non niſi ab Apoſtolis, & B. Virginis exemplo in Eccleſiam profluxit. Quare etiam hic locum habet Canon Auguſtini lib. 4. contra Donatiſtas cap. 24.* Quicquid vniuerſa tenet Eccleſia, quod omnibus retro temporibus etiam tenuit & ſeruauit, ita vt Initium talis Inſtitutionis non inueniatur, id tanquam Apoſtolica Traditio retinendum eſt.

IV.

Neque verò rationis inops eſt hæc Orthodoxorum Patrum aſſertio. Nam quia Dei diſpenſatio in CHRISTO, & cum Chriſto creſcebat, apprimè conueniens diuinæ fuit Oeconomiæ, vt tunc quoque conciperetur & naſceretur Dei filius, quando dies incipiunt creſcere, & quando primum incrementa omnia incipiunt venientis anni. Atqui tales ſunt dies illi duo prænominati qui-

Digitized by Google

quibus idcirco veteres conſecrarunt æquinoctium vernale & ſol-
ſtitium hiemale. At Ioannem Baptiſtam ſicuti creſcente Domino
minui oportebat, ita & concipi decebat in æquinoctio Autumna-
li ac naſci in ſolſtitio æſtiuali, quando dierum occipiunt decre-
menta. Qua in re tantum latere arcanum tamque admirandum
infinitæ virtutis diuini verbi argumentum ineſſe arbitratus eſt
D. Ioannes Chryſoſtomus, vt dubitârit quiſquamne ante Domini *Serm. 2. de*
Natiuitatem potuerit ad plenum intelligere. Forſitan & volucres *Natiuitate*
quoque cæli latuit; Angelicas dico mentes, donec veniret tempus *S Ioan. Bapt.*
miſerendi Sion & ſemen cui benedixit Dominus. Adhæc vt talia *Iob 28. v.21.*
prætereantur innumera; ecquid magis eſſe congruum diuinæ po- *Pſal.101.v.14.*
tuit ſapientiæ, quam vt Kalendis Ianuarij circumciſione ſua ac ſa- *Iſaia 61. v.9.*
lutifera diuini ſanguinis effuſione, anni primordia ſacraret, nobi-
lioreque purpurâ quam illa Romanorum Conſulum purpuraret?
Sic quippe dum nobis annum aperit & faſtos, atque *Principium
capiunt CHRISTVS & annus idem*; illum ſe pariter eſſe oſten- *Iſaia 22. v.22.*
dit qui clauem habet Dauid & æternitatis aditum ac cæli nobis *Apoca.3.v.7.*
valuas reſerauit. Rurſus quoniam illo Kalendarum Ianuariarum
die ſolemne erat dari ſtrenas, ſeſe illum declarauit qui pro ſtrena
Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis; cum quo & per *Iſaia 9. v.6.*
quem omnia bona donata ſunt nobis. Porro Nouatores qui nu-
peram ac nouiciam eius diei religionem cauillantur, manifeſta
ἀνιστορησίᾳ tenentur & à temeraria illa ſua criminatione, propter
ſingularem ſaltem tot Eccleſiæ Procerum Traditionem debue-
rant ſummoueri.

ANNOTATIO II.

Conuenientiſſimum fuiſſe diuinæ Oeconomiæ, vt Chriſti Domini & S. Ioannis Baptiſtæ conceptio ac Natiuitas, duo æquinoctia & ſolſtitia ſibi vendicarent ob rationem in quarta Theſi allatam agnoſcunt S. Effrem Syrus apud Alexandum Monachum in oratione de Inuentione Crucis, S. Gregor. Nyſ. ſermone de Natali, S. Ambroſ. ſerm. 12. de Natali S. Ioannes Chryſoſtomus in vtraq; homilia, Annotat. I. allegata, S. Auguſtin. ſermone 18. de Natiuit. Chriſti & libro 83. quæſtio. q.58. Auctor quæſtionum veteris & noui Teſtamenti apud S. Auguſtin. Tomo 4. quæſt.53. & 55. Paulus Oroſius loco prænotato,

Digitized by Google

Beda in libro de natura rerum cap.29. & in homilia de Natiuitate Ioannis Baptiſtæ, Prudentius in Carmine hac de re & S. Bernardus homilia 3. de Natali Domini. Adhac quid fingi congruentius poteſt? quam vt quo menſe ac die primus Adam fuerat à Deo creatus & in peccatum prolapſus, ſecundus Adam formaretur in virginis vtero, & poſtea moreretur in patibulo; vt quicquid ceciderat in Adam primo, totum erigeretur in ſecundo. Quid item cogitari poteſt conuenientius? quam vt cæleſtis illa Tuba & diuini Verbi Præco in menſe pariter Tubarum conciperetur, eiuſq; Natiuitas angelico denunciaretur afflatu! Nam hanc Tubam omnes illæ concrepabant Tubæ, quarum ſonitu annus Iubilæus indicebatur, & quarum clangore totus exercitus Iſrael caſtra metabatur. Vti auctor eſt Euſebius Emiſſenus ſeu Eucherius oratione in 3. dominicam aduentus. Joan.5.v.35. *Adhac quid decentius, quàm vt is qui futurus erat* Lucerna ardens & Lucens *in feſto Scenopegiæ conciperetur in quo & conceptus olim fuit Abraham & in quo Lucernas multas ſoliti ſunt Iudæi accendere in prognoſticon conceptionis D. Ioannis Baptiſtæ eo die futuræ, vt notatum eſt à Chryſoſt. loco præcitato. Sed ne quis neſcius erret, & veriſſimum ſanctorum Patrum pronunciatum perperam interpretetur, noſſe debet non illud de naturali Æquinoctio & Solſtitio ſed de artificiali intelligi. Alioqui ex obſeruationibus Ptolemæi, Hipparchi & aliorum Aſtrologiæ ſcientiſſimorum procliue eſt demonſtrare illo Chriſti Redemptoris noſtri auo, verum Æquinoctium veris ad XXII. vel XXIII. diem Martij ſedem fixiſſe.*

V.

Achilles quoque Aduerſariorum in aciem eductus nimium debilis eſt & inermis, quam vt tot inuictis Athletis reſiſtere, vel caſtra Dei territare, nedum profligare valeat. Ficulnea namque & planè ridicula eſt hæc conſequentia Paſtores erant in Regione eâdem ἀγραυλοῦντες quâ nocte lucem aſpexit Dominus: Igitur in Autumno natus eſt. Quo moti argumento vniuerſam Eccleſiam pudendi erroris, phanatici homines inſimulant, atque inſtar carneæ illius Turris agminibus exprobrant Dei viuentis. Sed ceſſant ἀνεμώλια hæc & inania, quæ, niſi pudoris & modeſtiæ immemores, obtecta facie ſcribere debuerunt, vt apud Platonem laudes amoris recitat Socrates. Quaſi verò non etiam hieme ad paſtum

1. Reg. 17.

In Phœdro ſeu dialogo de pulchro.

paſtum agantur armenta, & nunquam rigente Bruma ſub dio pernoctent Paſtores, gregiſque ſui excubias in mapalibus agant? Maximè verò in Palæſtina Ægypto contermina, vbi Martius menſis eſt nouarum frugum, vbi & triticea meſſis in Paſchales nonnunquam incidit ferias. Quod & *a* Exodus, & *b* Leuiticus & *c* Deuteronomium, ac liber *d* Ioſuæ confirmant, nec non ſabbatum δευτερόπρωτον apud Lucam. Taceo *e* Ciceronem diſertè mihi atteſtantem *Arabes & Phrygas & Cylices quod paſtu pecudum maximè vtantur Campos & Montes hieme & æſtate peragrare.* Nec pigebit aues cæli ad idem adducere in teſtes cum Propheta. *Miluus enim in cælo cognouit tempus ſuum, Turtur & hirundo & Ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui: Populus autem meus non cognouit iudicium Domini.* Quâ increpatione & hieroglyphico Symbolo, tempus Incarnationis diuini verbi in vernale incurriſſe Æquinoctium indicatur. Nam & illo Ciconiæ mare tranſmittunt, & hirundines ad nos reuolant, & Miluus quaſi oriens ex alto, à ſublimi deorſum vergit, atque apparere incipit. Qui *dedit Gallo intelligentiam*, ipſe arcanum hunc naturæ ſenſum alitibus indidit: cuius & illa vox eſt in Cantico Canticorum. *Surge propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni. Iam enim hiems tranſijt, Imber abijt & receſſit; Flores apparuerunt in terra noſtra. Tempus putationis aduenit. Vox turturis audita eſt in terra noſtra.*

a Cap. 23.
b Cap. 23.
c Cap. 16. v. 1.
d Cap. 3. 4. 5.
e Lib. 1. de diuinatione.
f Luca 6. v. 1.
Hierem. 8. v. 7.
Iob 38. v. 36.
Cap. 2.

VI.

In quam porro hebdomadæ feriam deſiderata illa atque vniuerſo optabilis mundo, Redemptoris noſtri inciderit natiuitas, varij variè. Viſum enim non paucis neque ineruditis, in Reginam & omnium dierum Principem (quâ nomenclatura diem dominicum inſigniuit S. Ignatius) incurriſſe; eiuſdem verò conceptionem in feriam ſextam. Quæ ſi eſſent effata, non alio quam quinto ſupra quadrageſimum annum Iulianum, Lentulo & Piſone Coſſ. litera B. erronea, Cyclo Solis nono & Lunæ ~~ſecundo~~ primo, diuini verbi facta eſſet Incarnatio. Cæterum cum nefas ſit Chriſtiano diſſentire ab Euangeliſta qui in diebus Herodis Regis Iudææ natum aſſerit orbi Saluatorem, nequaquam illa conſiſtere poteſt affirmatio. Siquidem annus XLV. Iulianus tertius extitit ab exceſſu Herodis: quemadmodum dicenda inferius liquido com-

Epiſt. 6. ad Magneſianos.

Digitized by Google

probabunt. Accedit ea nocte peperiſſe Deiparam virginem quâ in Bethleem veniens, neque hoſpitium ob multitudinem conuenarum inueniens, in pandochium & ſtabulum, ſe tandem recipere eſt coacta: vbi illi nocte concubia partitudo ſuperuenit. Atqui nullam præfert ſpeciem veri lectiſſimam virginem iter ſuum in ſabbato inſtituiſſe: quod legibus Moyſaicis vigorem etiamdum ſuum retinentibus aduerſabatur. *Nullus* inquit *egrediatur de loco ſuo die ſeptimo.* Maximè cum S. Brigittæ teſtentur Reuelationes, Chriſtiparam matrem diu ante habuiſſe perſpectum, quod iuxta vatum oracula in Bethleem eſſet paritura. Sanè quidem veteres Eccleſiæ Patres dum præcipua Chriſtianæ religionis conglobant myſteria quæ prima fuêre feria peracta, de Natali Domini penitus tacent; nequaquam illum aliàs prætérituri. Verum enimuero eadem hebdomadæ quarta feria decebat oriri ſolem Iuſtitiæ habitantibus in regione vmbræ mortis, quâ olim Sol iſte ſpectabilis illuxit orbi. Quin & hoc conſectaneū, Incarnationem verbi in eam incidiſſe noctem quæ lucem primæ feriæ proximè eſt conſecuta.

Exod.16.v.30. Lib.7.cap.21. & 22. Synodus Palaſtina apud Bedam ſupra S. Auguſtin. ſermone 154. de tempore, S. Leo epiſt.81. & 93. ca.4. Origenes hom.7.in Exodum, Beda, Iſidorus & Albinus in li. de officijs diuinis. Iſaia 9.v.2.

ANNOTATIO III.

Auctores multi & graues dominicum Natalem in primam conijciunt feriam, & conſequenter conceptionem in ſextam. Ut Rupertus in li. 3. de diuinis officijs cap.16. Nicephor.lib.1. hiſtor.cap.12. Vincentius lib.6.hiſtor.cap.88. Auctor hiſtoriæ ſcholaſticæ. S. Antoninus 1.p.hiſt. Tit.5.cap 1. §.2. Guilielm. Durand. lib. 6.ration. diuinorum officiorum cap. 13. & 14. Ludolphus & S. Bonauentura de vita Chriſti, Petrus Pitatus Mathematicus, Petrus de Natalibus, Dadraus, Onufrius, Alfonſus Salmeron, Robertus Bellarminus, Sebaſtianus Barradius, & Alfonſus Ciaconius aliiq; non pauci qui etiam Sophronium ſibi adiungunt in oratione de Natali Chriſti. Porrò Bellarminus Tomo 1. li.3. de cultu Sanctorum cap.11. affirmat omnes Mathematicos ita docere. Rectè equidem quia illis omnibus cum Dionyſio, annus Natalitius Chriſti fuit X L V. Iulianus cum litera erronea B. Conſentit in feriam (non tamen in annum & Conſules) Illuſtriſſimus Cardin. Cæſar Baronius cuius laus eſt per omnes Chriſti Eccleſias, in notis ad Martyrologium ad diem 25. Decemb. & in ſuo

ad

Digitized by Google

ad annales apparatu. Sed quoniam non numero teſtium ſed genere hic eſt veliſicandum, nec tam argumentorum multitudine quam pondere dirimendũ certamen, fidenter aſſerimus illo XLV. anno Iuliano non poſſe ſignari Chriſti natalẽ; quippe quo iam pridem in humanis eſſe deſierat Herodes in cuius diebus natũ eſſe IESVM Euangeliſta teſtatur: cuius vnius diſſenſione, omnis conſenſionis globus diſijcitur. Quartâ autem feria natum Dominum, & conceptum ſecunda, diſerte tradunt Cedrenus in compendio, nec non Maximus Monachus, aliquot annorum centurijs Cedreno vetuſtior: cuius iſta ſunt verba ἡμέρα δὲ τῆς ἑβδομάδος τοῦ μὲν ἐναγγελισμοῦ B. τῆς δὲ γεννήσεως Δ. Hoc eſt, Dies erat hebdomada, Annunciationis quidem ſecunda, Natiuitatis vero quarta. Quæ ſe ſcripſiſſe teſtatur Anno XXXI. Heraclij Imperatoris, æra Diocletiana 357. inſtante Indictione 14. quo Anno primum Aprilis ait incidiſſe in Sabbatum. Qui omnes indubij ſunt characteriſmi anni vulgaris Chriſtianorum Epochæ 640. cum quo recte eruditus Auctor Annalium, XXXI. Annum regni Heraclij copulauit. Nec pigebit adſtipulationem his adiungere ſanctæ Radegundis Reginæ & quæ illius vitam conſcripſit Bandoniniæ. Extat verò illa tum apud Surium Tomo quarto ad diem XIII. Auguſti, tum apud Annales Illuſtriſſimi Domini C. Cæſaris Baronij Tomo ſeptimo ad Annum Chriſti DXC. In illa autem ſcribitur S. Radegundis vitam commutaſſe cum morte die XIII. Auguſti feria quarta hebdomadis, in die Natalitio Saluatoris, in quo facere ſolebat quicquid facere conſtituiſſet. Quod aliter verum eſſe nequit, quam vt in quartam feriam Natiuitas inciderit Saluatoris: in quam cum incurriſſe pariter ſcribatur mors S. Radegundis, idemq; confirmet Gregorius Turonenſis lib. 9. cap. 2. & de gloria confeſſorum capite 106. qui ſe morti eius interfuiſſe narrat, manifeſtè liquet Radegundem non illo Anno Domini DXC. mortuam eſſe cui competit litera dominicalis A, ſed anno aliquo habente literã E: qualis fuit Annus Domini DXXCVII. vel DXCII. Nec his diſſentire putandus eſt Beda Tomo primo in libro de Argumentis Lunæ dum conceptum aſſerit dominum feria prima in dominica & natum feria tertia. Id enim haud magno labore ad veritatis normam reduci poteſt; ſi ſecundum Aſtrologorũ Perſarumq; & Babyloniorum ac paſſim vſu receptam intelligatur

magnus hic mundi oculus *Per duodena regit mundum Sol aur. aſtra:* nihilo ſecius lux mundi & Sol iuſtitiæ IESVS per duodenos Apoſtolos tanquam per totidem clariſſima mundi luminaria, & ſidera minime errantia Eccleſiam colluſtrat ac regit vniuerſam.

ANNOTATIO IIII.

Quod Apoſtolorum Petri & Andreæ vocatio in quartam hebdomadæ inciderit feriam ex eo pendet quod baptizatus ſit Dominus Anno LXXIII. Iuliano, die 6. Ianuarij feria 3. Illi vero vocati ſint à Chriſto, die poſt baptiſmum Domini LXXX. Quod infra aſtruemus ex S. Epiphanio, Maximo Monacho & alijs.

VIII.

Annum illum in quo apparuit benignitas & φιλανθρωπία ſaluatoris noſtri Dei quando IESVS CHRISTVS æternus Deus, æternique Patris filius formam ſerui aſſumpſit, & Verbum caro factum eſt tot coronauit prærogatiuis DEVS & tot illuſtrauit notis, atque tantis venerationis inſigniuit indicijs qui *benedixit corona anni benignitatis ſuæ*; quantis ab orbe condito annum alium ornauit nullum. Hic etenim ille eſt annus quo ab oriente in occidentem à ſeptentrione in Meridiem ac per totum Oceani circulum cunctis gentibus vnâ pace compoſitis Iani portas Auguſtus Cæſar clauſit; quo & gentes Alpinæ omnes quæ à mari ſupero ad inferum pertinebant ſub Imperium populi Romani ſunt redactæ. Quo & Cenſus ille maximus fuit, quando & in hoc vnum Cæſaris nomen, vniuerſa magnarum gentium creatura iurauit, ſimulque per communionem Cenſus, vnius ſocietatis effecta eſt: Quando & Sentius Saturninus & Voluminus ac Pedanius legati Auguſti Cenſum egêre in Iudæa *fidiſſimum* vt pulchrè dixit Tertullianus *teſtem dominicæ Natiuitatis*, Quo itidem anno varius ſuper ortu Meſſiæ in ore famæ extitit rumor, quando & publicus per Iudæam diſſipatus eſt ſermo auferendum ab Herode Regnum atque in Meſſiam transferendum: quando & gens omnis Iudæorum Herodi ac Cæſari ſubiectionis adacta eſt & fidelitatis præſtare ſacramentum. Erat porro hic annus Tribuniciæ poteſtatis Auguſti XVIII. Imperij verò Tiberij (hoc eſt Tribuniciæ poteſtatis quam ſuperſtite etiam tum Auguſto ſuſcepit) primus: quo & Octa-

Pſalm. 64.

Paulus Oroſius lib. 6. ca. 22.

Tertull. lib. 4. contra Marcion. c. 7.

Ioſephus li. 18. Antiq. c. 3.

Digitized by Google

ANNOTATIO V.

Dies Tyrocinij ſeu deductionis in forum (vt hoc quoq; in tranſc. delibemus) haud minus ſolennitatis habebat & pompæ, quam dies nuptiarum, fiebatq; à viris primarijs die ſemper XVII. Martij. Uti certam facit fidem Ouidius lib. 3. Faſtorum dum ita canit:

Tertia poſt Idus lux eſt celeberrima Baccho.

deinde ſubdens cauſam quare libera & virilis Toga eo die aſſumeretur, ait.

Reſtat vt inueniam quare toga libera detur
Luciferis pueris candide Bacche tuis.

Poſt aliquantillum deinde ita concludit.

Ergo vt Tyronum celebrare frequentia poſſet
Viſa dies dandæ non aliena Togæ.

Et paulo poſt.

Una dies media eſt, & fiunt ſacra Mineruæ
Nomina quæ à iunctis quinq; diebus habent.

Anno autem iſto XLI. Iuliano quo Caius Cæſar poſita prætexta, Togam induit, natum orbi, orbis Redemptorem, conſequentia cardinem facient veritati.

X.

Et quoniam grandis eſſe prudentiæ aurum in luto quærere verè ſapienterque admonuit Hieronymus, & magno Hieremias arcano lapides grandes in luto abſcondere eſt iuſſus, agedum illos tanquam lapides adiutorij eruderemus, atque ex lutulento Iuliæ Augusti Cæſaris filiæ adulterio, luculentum pro Natali Chriſti eliciamus argumentum. *Eo ipſo quippe anno quo magnificentiſſimi gladiatorij muneris, Naumachiaq; ſpectaculis D. Auguſtus XIII. Conſul dedicato Martis templo animos oculoſq; Pop. Rom. repleuerat, fœda dictu, memoriaq; horrenda in ipſius domo tempeſtas erupit. Quippe filia eius Iulia magnitudinem fortunæ ſuæ peccandi licentia metiens, nihil quod facere aut pati turpiter poſſit fœmina, luxuria, libidine, infectum reliquit. Quapropter in inſulam relegata, patriaq; & parentum ſubducta eſt oculis octauum ſupra trigeſimum gerens ætatis annum. Breue ab hoc Iulia exilio interceſſerat ſpacium cum Caius Cæſar in Syriam miſſus eſt.* Duodecimum vero Conſulatum ſeptendecim annorum interuallo & ruſus tertiumdecimum biennio poſt vltro Auguſtus

Hieron. Epiſt. 7. ad Lætam.
Hierem. 43.
Velleius Paterculus libro 2. hiſtoria.
Macrobius li. 2. Saturnal. ca. 5. Dio. lib. 48. & Velleius ſup.

authentica tum vbiq; extarent, præcipuè verò Romæ vb-
conſcripſit: vt nullo negotio coargui potuiſſet falſitatis. 5.Q — *Ioſephus lib. 1.*
mendacia componunt non aliorum ſcriptis conſona ſcribunt, — *aduerſus Ap-*
ſed quæ ipſis lubent, confingunt: *quo fit vt mendacium in extre-* — *pionem.*
ma parte nigreſcat. Atqui iſta Ioſephi aſſertio conſentanea reperitur clariſſimis veterum monumentis, & vſqueadeo non repugnat hiſtoriæ Euangelicæ, vt illam etiam mirè illuſtret. Deniq; annum illum mortis Herodis & præſidentiæ Caij pluſquam triginta periſtaſibus & notis adeo graphicè depinxit, vt mendacij ſuſpicionem excluſerit, dum ne vel ex vnâ circumſtantiarum inſimulare illum poſſumus falſitatis.

XI.

Quæ Suetonij, Velleij Paterculi, Dionis, Macrobij, Ioſephi (at quanti qualeſque viri!) aſſertiones, à nullo prorſus vetere ſcriptore in Ius, litemue vnquam vocatæ ſunt, ac præter cæteros, Auguſtum quoque ipſum ſuffragatorem & patronum habent. Eius enim in Ancyrano lapide verba exſculpta ſic habent. *Honoris mei cauſa Senatus Populuſq; Romanus annum quintum & decimum agentes* (Caium videlicet & Lucium Cæſares) *Conſules deſignauit: Vt eum Magiſtratum inirent poſt quinquennium. Ex eo die quo deducti in forum, vt intereſſent Conſilijs publicis decreuit Senatus.* Probè omnia. Caius enim Cæſar ſicuti ætatem Lucij fratris ſui toto anteibat biennio, ita etiamtum viuo ac ſuperſtite Herode in forum deductus eſt Auguſto XII. Conſule; qui & exinde poſt quinquennium ex Senatuſconſulto conſulatum abſens geſſit. Etſi verò ab anno illo quo virilem induit togam publicis potuerit intereſſe decretis, ad id tamen vſque temporis quo mortuo Herode, filij eius pro Iudææ regno coram Auguſto decertarunt, diſtulit Cæſar Caium tenerum adhuc & adoleſcentulum introducere in Senatum: quoadusque is duodeuiginti annorum attigiſſet ætatem; quâ & ipſe olim Auguſtus publicis ſe addixerat functionibus. Caio iſti in Syriam proficiſcenti M. Lollius Comes & Rector datus eſt: Quem Caium Tiberius è ſeceſſu illo ſuo Rhodo Samum traijciens, inuiſenſque; alieniorem ſenſit ex criminationibus Lollij. Detecta paulo poſt M. Lollij Moderatoris Caij perfidia, & intra paucos dies ſubſecuta morte, ingreſſus eſt Caius Armeniam, vbi illi rector

Lapis Ancyranus cuius & Dio lib. 54. & Suetonius in Auguſto & Corn. Tacitus & alij meminêre.

Dio libro 54.

Velleius lib. 2. & Sueton. in Tiberio ca. 12. & 13.

 datus

dum Iuliæ fama atque ante detecta ipſius flagitia [illegible]opor[illegible]. Alioqui nullam ille hoc facto ſuo Auguſti vel Tiberij grati[illegible] commeruiſſet, ſed ingens vtriuſque odium. Ex hoc itaque oppido à Philippo Tetrarcha in honorem Iuliæ, Iuliada nominato iuncta præſidentia Caij Cæſaris in lite Archelai ante relegatam Anno XLIIII. Iuliano, Auguſti filiam conſpicuè apparet Herodem nō exceſſiſſe ſeptimum ſupra trigeſimum regni ſui annum, ex quo illud Romæ à Senatu anno ſexto Iuliano, Caluino & Pollione Coſſ. accepit; ſed XLIII. Anno Iuliano in fata conceſſiſſe quæ Ioſephi, Ioſippi, Hegeſippi, Dionis, aliorumque multorum aſſeueratio eſt. Liquet ſecundo Ioſephum Scaligerum qui nouenos & tricenos ſolidos annos regno Herodis affingit, eundemque anno demum quinto & quadrageſimo Iuliano vitam commutaſſe cum morte aſſeuerat, vniuerſamque Chriſti Eccleſiam in computandis Chriſti annis biennio deerrare, apertè coargui erroris quo ipſe verius toto exerrat biennio. Apparet tertiò haud rectè Euſebium in Chronico ſignaſſe Iuliadam ſic appellatam à Philippo, anno Imperij Tiberij XII. Illo quippe tempore Iuliæ nomen erat Tiberio ſagitta in fœmore, vnguis in vlcere, ac ſola eius memoria velut Aquila illa Promethei iecur rodens Tiberij. His denique ad obolum quadrat quod Philippi Tetrarchæ principatus initium ſumpſiſſe produnt Antiquitates Iudæorum Anno poſt Actiacam pugnam XXXVII. finem vero anno exinde iterum ſeptimo & trigeſimo, nec non Imperij Tiberij vigeſimo. Emendanda proinde eſt vitioſa Scaligeri emendatio qui mortuum contendit Philippum anno Tiberij ἐικοςῷ δευτέρῳ, & retinendus verus & vetus Ioſephi textus cui exemplaria fauent omnia & exactiſſimum chronographiæ filum: iuxta quod *Nec primo medius, medio nec diſcrepat Annus, Regni Philippi.*

Joſeph. lib. 18. Antiq. cap. 3. Vide plura Annot. 13 Theſium.

XIII.

Et quoniam idem cæli terræque Dominus qui ſigna gratioſi ſui in Carne aduentus, impreſſit cælo, veſtigia eiuſdem reliquit in terris, illa nunc iam aſſectemur & de adytis annalium Romanorū eliciamus. Illo igitur anno Dominus Mundi eſt natus Mundo, quo vniuerſo orbe terra marique in tranquillum redacto ac Iano Quirino tertium clauſo *exijt edictum à Cæſare Auguſto vt deſcribe-* *Lucæ 2. v. 1.*

 retur

ambitum, & ab Oriente in Occidentem, à ſeptentrion[illegible] meri-
diem terrâ marique parta, Belli fores vti ante fuerat decretum, oc-
cluſæ demum ſunt ab Auguſto; donec ab eodem iam ſene accepta *Velleius lib. 2.*
clade Variana quæ in 54. incurrit annum Iulianum, denuo patefa- *& Dio lib. 56.*
ctæ ſunt. Quo datur intelligi Ianum qui ob pacatam Germaniam *& Tacitus lib.*
tertium fuerat ab Auguſto cluſus, ob eandem poſtea rebellantem, *12. & apud O-*
tertium ab Auguſto fuiſſe reſeratum: interpoſito toto duodecen- *roſium lib. 7.*
nio quo tertia illa Iani perſtitit clauſura: quemadmodum à multis *cap. 3.*
traditum eſt. Quâ ex generali orbis pace ac tertia Iani clauſura o-
ſtium nobis apertum eſt magnum, quo noſtris quodammodo
vſurpemus oculis Chriſtum Dominum qui Anno Tribuniciæ po-
teſtatis Tiberij XVIII. denatus eſt & renatus, anno itidem Tri-
bunic. Poteſt. Auguſti XVIII. quem inſcriptio ſignauit Pliniana,
natum Mundo. Poſt illum quippe annum peſtilens quædam Ate
orbem ilico infeſtauit vniuerſum, bella ferens ex bellis vt cui diſſi-
dia grata, ϖολιμοῖτε μαχαῖτε. Quapropter in Romano paſſim
imperio tumultuatum eſt, excitatis bellis atrociſſimis, quibus vni-
uerſalis Mundi Pax contaminata & interciſa fuit. *Nam & Parthus* *Velleius lib. 2.*
*deſciſcens à ſocietate Romana adiecit Armeniæ manum, & Germania
auerſis Domitoris ſui oculis rebellauit*, poſt Tiberij videlicet ex vrbe
diſceſſum qui anno contigit XLI. Iuliano poſt ſumptam à Caio
Cæſare togam. Quadruplici mox arſiſſe bello Iudæam & à Quin-
tilio Varo geſtum, Ioſephus, & Tacitus, Ioſippus, & Hegeſippus au-
ctores ſunt: Caium item Auguſti Nepotem ad bellum tunc pro-
fectum Armenicum, & ad componendos Parthorum tumultus,
obitis ante & ſedatis alijs, quæ ſimiliter turbatæ fuerant prouin-
cijs. Velleius Caij tunc ad illa bella Comes atque commilito &
quorum pars magna fuit, nec non Dio Caſſius, Suetonius, Zona-
ras, Florus, Sextus Ruffus atteſtantur.

ANNOTATIO VIII.

Tertiam & vltimam Iani ſub Auguſto clauſuram per totos duodecim ſtetiſſe annos vſq; ad cladem Varianam affirmant Paulus Oroſius lib. 6. cap. 22. & lib. 7. c. 3. Beda ad 2 caput Lucæ, ibidem gloſſa ordinaria, Chriſtianus Druthmarus ad 2. c. Matthæi, Maſſæus Cameracenus lib. 8. Chronici & Ottho Friſingenſis lib. 3. c. 9.

Et

Digitized by Google

brata eſt; cui non interfuit tantum Herodes, verum etiam Agnotheta factus eſt, eo luſtro, quod poſtremò Romam rediens accuſaturus filios offendit. Quo eodem anno miſſus eſt in Syriam ad agendos cenſus P. Sulpicius Quirinius qui anno 34. Iuliano geſſerat Conſulatum. Interdixerat enim omnibus Prouinciarum Pręſidibus Cæſar ne ante quintum annum ab adminiſtrato in Vrbe magiſtratu, Prouinciâs ſortirentur. Sed ante quam cenſus illos perficeret Quirinius, coactus eſt bella gerere cum Homonadenſibus, propter quæ, inſignia tandem meruit triumphi: Quo factũ eſt vt in eius deinde locum ſurrogatus ſit Sentius Saturninus, quẽ Herodes ex vrbe in Iudæam reuerſus Legatum in Syriam miſſum à Cæſare & Præſidem inuenit. Quare quod Lucas ait, *Hæc deſcriptio prima facta eſt à Præſide Syriæ Cyrino* ita accipiendum eſt, vt primam ſub Quirinio deſcriptionem à ſecunda diſtinxerit, quæ ſub eodem facta eſt Præſide, anno exinde duodecimo, ab Actiaca vero pugna 37. Vt taceam deſcriptionem Cenſus quæ forte cæpta fuerat à Quirinio, continuatam fuiſſe poſtea & perfectam à Saturnino; qui quia CHRISTVM in Bethleem deſcripſit, idcirco ad illius ſemper Tabulas tanquam ad fidiſſimum Dominicæ Natiuitatis teſtem prouocat Tertullianus, idem ipſe teſtis fidiſſimus & reconditarum rerum ſcriptor refertiſſimus. Vt locum hic habeat oraculum Iſaiæ; *Teſtem Populis dedi eum, ducem & præceptorem gentibus* ad inueſtigandum diem, annumque Domini acceptabilem. Nam per hoc ipſum tempus quo cenſus iſtos in Iudæa exegit Saturninus, teſtantur Ioſephi annales totam Iudæorum gentem, fidem ſuam Auguſto Cæſari, & Herodi iureiurando obligaſſe, paſſimque per ora vulgi perambulaſſe famam, decretum eſſe Deo, auferre regnum Herodi atque in nouum conferre Regem, quem Prophetarum deſtinabant vaticinia; cui & proſpera ſucceſſura eſſent omnia & cuius Regni nullus futurus eſſet finis. Vel vt Iudaicæ ſcriptor hiſtoriæ ait, *cui conſtabiliendum eſſet regnum ſucceſſione prolis legitima.* Sic enim carnales Phariſæi interpretabantur ſecundum carnem quæ ſpiritualiter de Chriſto prædixerant Lex & Prophetæ. *SEMEN EIVS IN ÆTERNVM MANEBIT, ET REGNVM EIVS IN ÆTERNVM NON DISSIPABITVR.* Quæ cum ex Dei ſermonibus

Ioſeph. lib. 16. Antiquit. cap. 12. & 13. & li. 1. de bello c. 16. Dio lib. 53.

Luca 2. v. 2.

Tertull. lib. 4. contra Marcionem cap. 7. & 19. & 36.

Iſaias 55. v. 4.

Ioſeph. lib. 7. cap. 3.

Pſal. 88. v. 37. Dan. 2. v. 44.

emptus quinto quam Herodes vita excederet, die. Joſephus, Ioſippus Hegeſippus, cæteri.

XVII.

Cum vero Herodis infanticidium in idem cum Antipatri cæde tempus incurrerit quem anno 43. Iuliano, paulo ante paſcha interfecit, inde palam eſt conſectarium, Chriſti Natiuitatem in finem quadrageſimi primi anni Iuliani incidiſſe. Vt ſanè non abs re bimuli iſti Ephratæi primitiæ Dei & Agni dici poſſint nomen Agni & anni eius natalitij habere ſcriptum in frontibus ſuis. *Herodes quippe iratus occidit omnes pueros à bimatu & infra ſecundum* Matt. 2. v. 16. *tempus ortus ſtellæ; atq; adeo Meſſiæ quod exquiſierat à Magis.* Ex quibus Euangeliſtæ verbis iuncta clariſſimorum Interpretum expoſitione, interuallum biennij ab ortu Chriſti vſque ad cædem infantium rite ſtabilitur. His maximum accedit argumentum ex maiorum traditione, quâ S. Elizabetha vnà cum Ioanne baptiſta filio ſuo tum adhuc bimulo in ſpecum ſeu deſertum profugiſſe aſſeritur; vt illum Herodis ſubtraheret Infanticidio. Congruit id præterea cum illa altera traditione, quâ olim, hodieque creditum, Herodem ob infantium cædem diuinitus fuiſſe flagellatum. Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ illius, quorum indignatio ebibit ſpiritum eius. Certè Gorionides ipſe non aliquis domeſticus *Joſeph. Gorion. lib. 5. cap. 41.* teſtis ſed ex Iudæis Iudæus diſerte affirmat Herodem paulo quam moreretur & Antipatrum neci dederet, comprehendiſſe in circo non ſolum Principes populi & nobiles Patriæ, ſed vnà cum his filios quoque & paruulos eorum, quos & iuſſos ab Herode occidi aſſerit. Quod ſi piſcator ictus ſapit & in ſcrobem lapſus aſinus cautius figit pedem, equidem nemo vnus nobilium Herodi paruiſſet, vel comparuiſſet aliquando, ſi ſimile crudelitatis exemplum in infantibus præceſſiſſet, fuiſſetque de illo aliquando accuſatus apud Cæſarem, à Syllæo præſertim Arabe, qui omnem captabat occaſionem illum traducendi apud Auguſtum. Iam verò nihil horum.

ANNOTATIO X.

Herodem ſimul cum Antipatro occidiſſe Infantes & Macrobius lib. 2. Saturnal. cap. 4. & ibidem Auguſti Apophthegma documento ſunt.

Digitized by Google

Cum audiſſet (*inſit Macrobius*) Auguſtus inter pueros quos in Syria Herodes Rex Iudæorum intra bimatum iuſſit interfici, filium quoque eius occiſum, ait: Melius eſt Herodis Porcum eſſe quàm filium. *Quæ Auguſti Nugæ nos ad ſeria ducunt. Quod verò nonnulli adeo ferum & aſtorgon fuiſſe ſcribunt Herodem, vt odio Meſſiæ proprium quoque necârit infantulum, ex Pſeudo Philone ſumptum eſt. Sermonem autem fabulæ dedit hic Paralogiſmus. Herodes cum infantibus bimulis, ſuum pariter filium occidit: Igitur filium ſuum bimulum occidit. Quod planè aduerſabatur ſcopo Herodis, qui ſepulchro proximus, votis omnibus & hæredem & regnum in hærede expetebat glorioſiſſimum. Firmat Macrobij fidem Ioſippus Gorion lib.5.cap.41. qui quo tempore necatus eſt Antipater ſcribit nobiles Patriæ & filios eorum ac paruulos indiſcriminatim circo concluſos atque vnà omnes ab Herode fuiſſe iuſſos trucidari. Propter quod Gregor. Niſſen. in oratione apud Lipomanum tomo octauo, Herodem ait infantes omnes vnum in locum coëgiſſe quo ſimul omnes daret internecioni. Plus addunt Remigius & Haymo qui cædem infantium cum illa Nobilium comprehenſione ita confundunt vt vnam fuiſſe vtrorumque aſſerant carnificinam. Denique quod vſque hodie locus cædis Infantium prope Bethleem demonſtretur, auget dictis fidem; quemadmodum & in eandem concurrit ſententiam præceptum Poëtæ* Nec pueros coram populo Medea trucidet.

Horat. de arte poëtica.

2. *Herodem occidiſſe bimulos poſt exortum ſtellæ (atque adeo Chriſti) natos, hancque eſſe germanam verborum Matthæi intelligentiam diſcere poſſumus ex Euſebio in Chronico, S.Epiphanio hæreſi 30. & 51. S. Auguſtino ſermone 7. de Epiphania & 35. de tempore, Euſebio Emiſſeno, ſeu S.Eucherio, nec non Baſilio Seleucienſi in ſermone de Innocentibus, S. Anſelmo, Haymone, Hugone Cardinali, Nicolao Lyrano, Dionyſio Carthuſiano, & Caietano in ſecundum caput Matthæi, Chriſtiano Druthmaro & Alexandro Monacho, iſto in ſermone de ſanctis Innocentibus, & hoc in homilia de Inuentione S.Crucis, Cedreno in Compendio, Hermanno Contracto, Hippolyto Thebano, Mariano Scoto, Onufrio & Mercatore in Chronico, Regino, Nicephoro lib.1. hiſtor.ca.14. S.Thoma 3.parte quæſt. 36. a. 6. ad 3. Hiſtoria ſcholaſt. cap. 11. hiſtor. Euang. Vincentio in hiſto-*

Digitized by Google

hiſtoria lib.6.cap.93. D. Antonino parte prima hi[illegible] cap. 1. §.4. Platina, Aria Montano, Sabellico & Scaligero. Et vt verbis meis faciam compendium, illa Caietani attexam ad 2. caput Matthæi. A receſſu inquit. Magorum vſque ad tempus occiſionis Innocentium fluxerunt fere duo anni dicente Euangeliſta, A bimatu & infra ſecundum tempus quod exquiſierat à Magis. Hoc enim apertè ſignificat quod ferè biennium fluxerat ab apparitione ſtellæ. Alioquin non dixiſſet ſecundum tempus quod exquiſierat à Magis. *Hactenus Caietanus cedro digna locutus; quæ tamen à maioribus accepit.*

3. Porro Ioannem Baptiſtam quando in ſolitudinem ſeu ſpeluncam delatus eſt bimulus, ſubtractum fuiſſe laniena Herodis quæ tunc exercebatur, Aſſertores ſunt S. Petrus Alexandrinus Patriarcha & Martyr in Regulis ſuis Eccleſiaſticis a ſexta Synodo Generali approbatis, Euangelium titulo Iacobi prænotatum, Albertus Magnus in 1. cap. Lucæ, quem tamen in eo quod aſſerit Ioannem in illa fuga fuiſſe decem annorum emendant, Euthymius in 12. cap. Matthæi. Nicephor. lib.1 cap. 18. Simeon Metaphraſtes ſermone de Ioanne Baptiſta; & ante hos Origenes homilia 11. in Lucam, Euſebius lib. 9. demonſtrat. Euangel. cap. 5. & Chryſoſtomus homilia decima in Matthæum; qui omnes id factum notant cum Ioannes eſſet vel bimulus vel vixdum ſolutus faſcijs.

4. Traditionem de Herode ob infanticidiũ diuinitus flagellato & occiſo agnoſcunt Euſebius lib.1.hiſtoriæ cap. 8. 9. & 10. nec non in chronico vbi rectè mortem Herodis copulat infanticidio, Chryſoſt. homilia 9. in Matthæum, & homilia 12. in acta Apoſtolorum, Beda in homilijs & in Catena; atque ibidem hiſtoria ſcholaſtica, Euthymius, Alexander Monachus, Ottho Friſingenſis, Platina, Maſſæus Cameracenas, Carolus Sigonius & Illuſt. Auctor annalium. Quibus & concinit ſacer vates Pſal. 8. Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem vt deſtruas inimicum & vltorem, *& Iſai. ca. 33.* Ve qui prædaris nonne & ipſe prædaberis. Cũ conſummaueris deprædationem deprædaberis. *Non vtique ab alio quàm ab eo de quo idem clariſſimus vates capite 8. dixit:* Velociter ſpolia detrahe, citò prædare.

5. Herodem quamdiu vixit non fuiſſe de Infanticidio accuſa-

Digitized by Google

tum apud Auguſtum manifeſtè liquet ex oratione Nicolai Damaſceni quam pro Archelao coram Cæſare habuit. Extat illa apud Ioſephum lib.17.ca.12. Fuiſſet vero de tanto tamque atroci flagitio accuſatus aliquando apud Cæſarem, atque egregiè punitus, ſi infanticidio diu ſuperuixiſſet. Nam & minore ex cauſa cum per Syllaum delatus eſſet, ex gratia excidit Cæſaris, qui illi etiam atroces intentauit minas, & Archelaus leuiorem ob culpam iuſſu Cæſaris exutus eſt principatu atque a patria extorris factus. Deniq; nunquam Herodis teſtamentum reſixiſſet Cæſar, niſi cædes interueniſſet infantium. Nam ſæpenumero Herodi facultatem fecerat Auguſtus, nec ita pridem ante eius deceſſum vt quem vellet filiorum, Regni ſibi hæredem deligeret.

XVIII.

Hæc quam elegantér, tam validè confirmant tum exilium & mora Chriſti in Ægypto, biennali ſpacio (vti à maioribus proditum) contenta; tum propheticus Iſaiæ ſermo; quo Chriſto Domino needum infantiæ limitem prætervecto & antequam per ætatem, nomen Patris edere poſſet aut matris, prædicitur, tam Damaſcum quam Samariam ſuis deſtitutum iri Regibus, obtinente interea ſedem Dauid patris ſui Chriſto Domino. Obodam quippe Rex Damaſci paucis antè Herodem menſibus vita ſimul & regno eſt priuatus, Saturnino qui Chriſtum in Tabulas cenſus retulit, in Iudæa etiam tum verſante. Propter quæ Iſaias prophetiæ telam pertexens ait: *Acceſſi ad Prophetiſſam* (B. videlicet virginem θεοτόκον) *& concepit & peperit filium; & dixit Dominus ad me. Voca nomen eius Accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari: quia antequam ſciat Puer vocare Patrem ſuum & matrem ſuam auferetur fortitudo Damaſci & ſpolia Samariæ coram Rege Aſſyriorum, hoc eſt Auguſto* cui tunc Aſſyria parebat & ſub cuius ſignis ſtipendia merebat. Et rurſus; *Antequam ſciat Puer reprobare malum & deligere bonum, derelinquetur terra, quam tu deteſtaris à facie duorum Regum ſuorum.* Cum quibus bellè conuenit Tertulliani & aliorũ inuicta patrum auctoritas, aſſerentium Chriſtum adhuc fuiſſe infantem, quo tempore ex Ægypto in Nazareth eſt reuerſus. Aſſidet his quoque Pictura Eccleſiaſtica, quâ Chriſti in Ægyptum fuga & poſtlimium in ætate ſemper eius infantili depinguntur. Cui & verba

Iſaias 8. cap.

Iſaias 7. cap.
L. 4. cont. Marc. 8. cap.

ba conſentiunt Iudæorum. *Quomodo hic literas ſcit cum non didicerit:* ex quibus liquet Chriſtum ab infantia in Iudæa perpetuo receſiſſe, nec ſcholas aliquando frequentaſſe vllas. Quadrat deniq; quod olim in Moyſe tanti huius myſterij prophetia extitit. Nam vt ille adhuc infantulus diadema Pharaonis tametſi ludibundus & puerili geſticulatione, ioco tamen myſtico in terram excuſſit atq; proculcauit: Ita Herodi ſpolia cito & diadema noſter Emmanuel velut ludibundus detraxit, ac tanquam alteri Pharaoni per Magos illuſit.

Io. c. 7. v. 15.

Auctor Ioſephus li. 2. Antiq. cap. 5. & fauet Apoſtolus ad hebræos 11. cap. v. 24.

ANNOTATIO XI.

Chriſti in Ægypto moram alij decennalem, quidam octennalem fuiſſe contendunt vel ſeptennalem; Alij aliud opinantur. Nos biennium exceſſiſſe abnuimus; eo moti præcipuè argumento quod in fata ceſſerit Herodes anno XLIII. Iuliano. Nam vt Atlanti cœlum, ita omnis noſtra de Chriſti annis chronographia, præfato innititur hypothemati. Certè S. Epiphanius hæreſi 20. 51. & 78. Chriſti exilium biennio comprehendit, Rufinus quoque vel ſiquis alius Euſebij ſcholiaſtes conſentit, dum in annotatione marginali ad Euſebium lib. 1. hiſtoriæ cap. 10 notat Archelaum ſucceſſiſſe mortuo Herodi anno Chriſti ſecundo, & pulſum ab Auguſto in exilium anno Chriſti XII. hoc eſt Tetrarchiæ ſuæ decimo. Adhæc accedunt Hippolytus Thebanus in Chronico Nicephorus lib. 1. hiſt. r. cap. 14. & Onufrius qui poſtliminium Chriſti ſignant anno tertio ætatis eius, nimirum inchoato. Sed & Rabbi Abraham duos aſſerit annos Ieſum habitaſſe in Ægypto: mentitur vero dum addit illum interea Magiam ab Ægyptijs didiciſſe. Sed falſa veris derogare non debent.

XIX.

Annunciatio porro Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ eiuſdemque conceptio nos, iniecta quaſi manu ad annum Chriſti Natalitium deducunt. Nam eo contigêre anno, teſte Chryſoſtomo, qui primum Imperij Tiberij Cæſaris annum, hoc eſt Tribuniciæ Poteſtatis proximè anteceſſit. Per annos quippe Tribuniciæ Poteſtatis, ſolitos numerari annos Romanorum Imperatorum notiſſimum. At primum annum Tribuniciæ Poteſtatis Tiberij ſignant faſti capitolini & veterum memoriæ anno Iuliano quadrageſimo

Chryſoſtom. in homil. de Natiuitate S. Ioannis Baptiſtæ.

pri-

Ibidem. primo. Amplius tradit Chryſoſtomus; Conceptionem Ioannis Baptiſtæ nouem præceſſiſſe annis correctionem ſeu collectionem anni: quia conceptus eſt anno XL. Iuliano, qui tertius eſt in ordine illorum duodecim, quos ſine intercalatione decurrere iuſſit Cæſar, quo Solis Lunæque curſus annis quadraret Iulianis. Ad-*Ibidem.* hæc Chryſoſtomi & complurium veterum eſt aſſertio, Annunciationem Natiuitatis S Ioannis Baptiſtæ contigiſſe Luna X. menſis ſeptimi die 24. Septembris, eiuſdem vero conceptionem accidiſſe Luna XV. in feſto Scenopegiæ & quidem 29. Septembris in die Sabbati. Quæ nulli præterquam quadrageſimo poſſe competere anno Iuliano, tam cyclus Solis & Lunæ quam Epacta & Litera dominicalis ac martyrologij euidentem faciunt apodixin. Ite-*Ibidem.* rum ex maiorum traditione docet Chryſoſtomus natum Ioannem die 24. Iunij Luna XVII. in Ieiunio quarti Menſis qui dicitur Tamuz, & quidem feria ſecunda vti Maximus Monachus ante annos prope mille in literas retulit. Quæ, certum eſt & Mathematicè euidens, nulli poſſe anno conuenire in diebus Herodis, præterquam XLI. Iuliano, qui & poſtremus fuit annus ex natura biſſextilis, quem vidit Herodes. Adiungit rectè Chryſoſtomus iſta fuiſſe per Zachariam cap. 8. verſ. 19. prædicta. Iam & illud hic non eſt omittendum quod ſicuti à multis traditum, ita ſoli noſtræ aptari poteſt ſententiæ; Natum eſſe Dominum quo anno regni Herodis partim XXXII. partim XXXIII. Iudæi tyrannide eius feſſi, iuramentum illi præſtitêre fidelitatis, & ille quaſi legitimè regnare cæpit. Hoc vero primo ſupra quadrageſimum contigit anno Iuliano ſummum in Iudæa Pontificatum adminiſtrante Simone, quem Matthias deinde extruſit in vmbra futuri: quia fu-*Luca 4. v. 38.* turum erat vt ſurgens Ieſus de Synagoga, introiret in domum Simonis Petri, & ſuper hanc Petram ædificaret Eccleſiam.

ANNOTATIO XII.

D. Ioanni Chryſoſtomo quod ad diem ſpectat Euangeliſmi S. Ioannis Baptiſtæ, eiuſdemque conceptionis ac natiuitatis ſuffragatur Anaſtaſius Patriarcha Antiochenus quando ita ait: Decima Luna ſeptimi menſis ſacerdotio fungens Zacharias angelicam viſionem vidit & prædixit Baptiſtæ ortum. Poſthæc complens vicem &

diem

Digitized by Google

diem ſui officij reuerſus eſt in domum ſuam. Complentur autem vices illæ in ea die quæ dicitur Plenilunium. Tunc concepit vxor eius Elizabeth. *Iſtis dextras dedêre ſocietatis D. Eucherius, alias Euſebius Emiſſenus, & Petrus Damianus in homilia de Natali Præcurſoris, Beda, Albertus Magnus, & Dionyſius Carthuſianus ſuper primum caput Lucæ. Iterum idem Beda in opuſculo de argumentis Lunæ, & apud eundem Wandelbertus in Martyrologio, Rurſus idem Beda in Martyrologio ſuo. Ibidem Vſuardus & Petrus Caniſius, Vincentius lib.6. hiſt. cap.77. & Durandus in Rationali diuinorum officiorum lib.7. cap.9. Qui fere diem Euangeliſmi quo annunciata eſt D. Ioannis natiuitas indiſcriminatim cum eius miſcent conceptione; quam ſignant 24. die ſeptembris in Ieiunio ſeptimi menſis, Natiuitatem vero illius 24. Iunij in Ieiunio quarti menſis. Etſi namque non eodem die conceptus ſit Præcurſor, quo annunciatus, illius tamen Euangeliſmus quia notior, poſteris iure meritò pro ipſa conceptionis die in veneratione fuit. Eò maximè quod diuinæ & humanæ hiſtoriæ mos ſit vſitatiſſimus: Ut tunc res dicatur facta, quando decreta eſt & cœpta fieri. Cuius rei illuſtre extat documentum in Exaltatione Iechoniæ 4. Regum 25. v.27. vbi facta aſſeritur 27. die menſis 12. cum tamen eadem Hieremiæ cap.52. v.31. dicatur facta, hoc eſt decreta die 25.*

2. *In Ioannis conceptione ac natiuitate impletum eſt illud Zachariæ c.8. v.19.* Ieiunium quarti & Ieiunium ſeptimi erit domui Iuda in gaudium & lætitiam, & in ſolennitates præclaras. *Quò alludens Angelus, ad Zachariam Ioannis parentem ait Lucæ cap.1. v.14.* Erit gaudium tibi & exultatio. Et multi in natiuitate eius gaudebunt. *Rectè autem in die Ieiunij & fractarum legis Tabularum natus eſt Ioannes, Præco pœnitentiæ: quia Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem. Matthæi 11. v.13. Ita Chryſoſt. ſupra. Propter quæ & talia Iſaias audet & dicit c.33. v.3.* Impleuit Sion Iudicio & Iuſtitia: Et erit fides in temporibus tuis, Diuitiæ ſalutis, ſapientia, & ſcientia. *Et quoniam hanc temporum Symmetriam, ne angelica præditus intelligentia, ante diuini verbi Incarnationem valuiſſet comprehendere, meritò tamdiu mutus permanſit Zacharias, quo ad vxor eius peperit ipſi Ioannem; Vocem inquam verbi diuini.* Hinc parens nati meritis vterque abdita pandit,

Digitized by Google

rant die à partu virginis quadrageſimo ad infanticidium ſe accinxiſſe, omnemque iſtum Chriſto coëtaneorum exercitum, barbarica crudelitate extinxiſſe plerique autumant; atque idcirco Chriſti fugam in Ægyptum, Hieroſolymâ inſtitutam volunt, aut certe ex itinere dum Nazarethum Deipara & Ioſeph irent, nec peruenirent. Neque defuêre, qui vel ortum ſtellæ ab ortu Meſſiæ, vel Chriſti natalem ab eius fuga toto ſepararint biennio. Nobis longe alia mens eſt, quando ad calculos vocamus omnia: quam ita compendio explicamus. Poſtquam conſummati erant dies octo, ex quo moribunda Deus induerat membra, primo die quadrageſimi ſecundi anni Iuliani, Kalendas Ianuarias dijs olim inferis ſacras, hocq; nomine execrandas, circumciſione ſuâ, diuino ſuo nomini cæleſtique numini conſecrauit. Factum id feria quarta. Et ecce mox die ſexto Ianuarij feria ſecunda ab oriente venientes Magi, & aureum virginis partum, ac diuinum inuenientes puerum, proni in faciem ac ſupplicabundi humi iacentes adorârunt. Vbi verò impleti ſunt dies purgationis Mariæ, ſecundo Februarij, feria ſeptima, tulerunt Dominum templi ad templum Domini & obtulerunt par turturum vel vt in reuelationibus S. Gertrudis habetur par Columbarum. *Et vt perfecerunt omnia ſecundum legem Domini reuerſi ſunt in ciuitatem ſuam Nazareth*: & habitarunt ibi; quoaduſque Angelus Domini apparuit Ioſeph dicens: *Surge, & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum. Futurum eſt enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Scitè autem futuram tum adhuc prædixit Angelus Herodis perſecutionem, quod illum Auguſti minæ, Saturnini Seueritas, accuſatio Syllæi, & tota eius familia inſidijs diſſidijſque exundans, in officio & metu atque intra metas, in præſens continerent. Vbi vero nihil ſibi Tyrannus ſupereſſe animaduertit vitæ; nec quicquam periculi ſibi poſſe creari à Cæſare credidit, & Quintilium Varum habuit Syriæ Præſidem, qui eundem ſecum impietatis trahebat rudentem, quaſi fatum vincere & Dei conſilia fallere, atque irrita reddere vatum oracula poſſet, ſceleris olim certus & oblatæ occaſionis ex impendente ſibi morte properus, diu meditatam innocentium lanienam maturauit: nec vltra Antipatri necem diſtulit.

Libro 4. Reuelationum cap. 9. pagina 484.

Matt. 2. v. 2[illegible]

APPENDICVLA. Deiparam Virginem poſt luſtrationem

tionem in templo, reuertiſſe Nazarethum, atque inde poſt profugiſſe in Ægyptum, auctores ſunt Origenes homilia 18. in Lucam, S. Ioannes Chryſoſtomus homilia 9. in Matthæum, & in appendice ſuper 2. cap. Matthæi, Ammonius Alexandrin. ſeu vt alij Tatianus cap. 1. Harmoniæ, S. Epiphanius hæreſi 20. & 51. Theophylactus, Euthymius, Hugo Cardinal. Albertus Magnus, Arias Montanus, & Franciſcus Toletus partim ſuper Matthæum, partim ſuper Lucam, Iuuencus, Abulenſis, Sabellicus, Platina, Melchior Canus, Illuſt. Auctor Annaliū, Genebrardus aliiq; complures. Herodem conſcio Quintilio Varo trucidaſſe infantes, filiumq; ſuum Antipatrum, haud leuis eſt coniectura; ſcribit enim Ioſephus lib. 17. Antiq. cap. 7. publicam tum fuiſſe famam, omnia quæ agebat Herodes, conſcio Varo fieri. Unde & Rupertus li. 21. de victoria verbi Dei cap. 2. per licentiam Romanæ potentiæ patratum ait infanticidium.

XXI.

Quo vſus ſit Herodes ſtratagemate in deſignando infanticidio, vt præter Chriſtum IESVM, & Ioannem Baptiſtam, nemo vnus euaſerit, dubiæ eſt & implexæ quæſtionis. Multorum inſedit opinio Herodem ſuas centuriatim emiſiſſe cohortes, ac militum globos, qui per fora volitantes, & rura, totaſq; per vrbes & oppida, pedites equiteſque permixti atque incurſantes domos, & ſecreta quæque infantium perſcrutantes Latibula, abreptos ab vbere paruulos ante oculos & ora parentum crudeliſſimè iugulârint. Qui modus, quia aliquid venuſtatis habet & gratiæ ad motum in animis audientium excitandum, non paucis placuit Eccleſiaſtis. Sed tamen neque is ſatis tutus fuiſſet Militibus, neque ſatis cautus Herodi. Quare propinquius vero, Herodem primum curauiſſe deſcribi infantes bimulos & minores bimulis poſt ortum ſtellæ progenitos, mortiſque propoſita pæna præcepiſſe ad ſe certo die ac loco adduci paruulos, quos in circo concluſos immiſſis militibus omnes ad vnum iuſſerit contrucidari. Et quoniam mortem ſuam feſtis gaudijs ſciebat celebraturos Iudæos, qui & illo Rege carere, & nuper nato, atq; à Magis & Paſtoribus adorato, nec ita pridem in ſacra Hieroſolymitana æde oblato Meſſia frui auebant, volens per alios lugeri, omnem Iudææ nobilitatem eodem edicto & pari propoſita pæna euocauit. Tum vt ſuſpicione careret infanti-

S. Auguſtin. ſerm. 1. de Innocent. ſeu 8. de ſanctis, Origenes homil. 3. in diuerſis, Baſilius Seleucienſis in homilijs & Gregorius Niſſen. in orat. de natali Chriſti.

Abulenſis quæſt. 71. in 2. cap. Matthæi. Ioſeph. lib. 1. de bello cap. vltimo, & lib. 17. Antiq. cap. 8.

fantium conuocatio, tum vt his quoque occiſis, inuita omnis Iudæa, omniſque domus in eius morte illachrymaret. Iſtorum etenim vulgari cædem ante ſuum vetuerat obitum. Quò verò ad tam nefarium flagitium obſequētes haberet duces ſuos & milites, Antiochi Epiphanis renouans exemplum, ſingulos omnium ordinum ingenti pecunia & militaribus donari iuſſit donis. Infantium porro in circo comprehenſionis, idcirco non meminit Ioſephus, neque cædis eorundem; quod hoc omnino ipſi ſolenne ſit, vt, & ea quæ ad gentis ſuæ ſpectant gloriam magnifico dilatet præconio, & contra pauciſſimis verbis abſorbeat, atque exhauriat, quæcunque vel cum Chriſti & Apoſtolorum gloria, vel cum gentis ſuæ dedecore habent neceſſitudinem. Ex illo cæteroqui diſcimus nobilitatis conuocandæ hunc Herodi fuiſſe prætextum: tanquam qui ex Auguſti mandato, vellet Antipatrum coram Quintilio Varo, (vt nuper coram Saturnino condemnârat Alexandrum & Ariſtobulum,) conuincere Parricidij, ac regni alium declarare hæredem.

Ioſephus ſupra

lib. 1. Machab. cap. 3. v. 28.

XXII.

Si quis alius in Chronologia Chriſti Domini ſæpenumero iactari ſolitus, in cuius expoſitione magna diſſidentium contentione certatur, hic ille eſt Matthæi locus cap. 2. v. 16. *Herodes iratus occidit omnes pueros qui erant in Bethleem & in omnibus finibus eius à bimatu, & infra ſecundum tempus quod exquiſierat à Magis.* Quorum alioqui verborum vera, clara ac germana hæc elucet ex ſuperioribus intelligentia. Occidit Herodes omnes bimulos & minores bimulis, ſecundum tempus apparitionis ſtellæ quod exquiſierat à Magis: ita vt terminus à quo occiſionis infantium, fuerit tempus apparitionis ſtellæ & exortus Meſſiæ, vnde didicerat nondum tunc expleſſe Chriſtum biennium; labente nimirum etiamtum & ſe circumagente anno ſecundo ortus ſtellæ & Meſſiæ. Quare terminus ad quem fuit tempus comprehenſionis & occiſionis paruulorum. Quam interpretationem non tantum plures & vetuſtiores probant Auctores, ſed & vera confirmat hiſtoria ac teſtis temporum Chronographia, & Traditio: præſertim illa quâ Ioannes Baptiſta à matre Elizabeth, Herodis fugiente infanticidium in deſertum etiamtum bimulus deportatus fuiſſe aſſeritur. Defuncto

De hoc Annotat. 8.

Digitized by Google

duodenni fuêre Alcedonia, licet demonſtrare. Primum enim Paſcha poſt relegatum Archelaum in annum ætatis Chriſti duodecimum incidit, quo idcirco liberrimum illi fuit adire Hieroſolymam, atque ad miraculum & ſtuporem omnium qui puerum in templo audiebant Doctorum, latentem in ætate tenera infinitam ſapientiam,& manifeſtare occultè,& occultare manifeſtè. Tunc quippe euênit quod amicus ſponſi diu poſt opprobrauit Phariſæis Ioannis 1.cap.verſ.26. *Medius veſtrum ſtetit quem vos neſcitis.* Annus autem is erat tertius ſuper & quinquageſimus Iulianus, idemque octauus Dionyſianus, quo conſtat in orbe Romano primum biſſextum fuiſſe legitimè celebratum. Porrò Emmanuel ſoſpitator noſter qui ab Iſaia non inaniter dictus eſt *magni conſilij Angelus, admirabilis, Deus, fortis, & Deus iudicij Dominus*, bis ſextum tunc ætatis annum in humana agebat carne: vt *ſecundum nomen ſuum: ſic & laus eius eſſet* in monte Sion,& in templo ſancto ſuo. Parum autem eſt credibile CHRISTVM qui Archelai ditionem deuitare eſt ſolitus,patentem hanc ſui manifeſtationem in oculis tum regnantis Archelai perfeciſſe. *Iſaias c.9. v.6.* *Pſal.47. v.11.*

APPENDICVLA. *Primum paſcha poſt relegatum Archelaum incidiſſe in LIII. annum Iulianum ex Ioſepho & Dione, Ioſippo & Hegeſippo, & ſcriptoribus vniuerſum Herodis regnum ſeptenis & tricenis annis circumſcribentibus opus eſt conſiteri. Cuius rei fides ex ſequenti aſſertione clarius eniteſcet. Chriſtum porro fuiſſe per id tempus duodennem, & auctores in Annotat. nona allegati affirmant, & argumenta omnia noſtra pro anno Domini Natalitio confirmant.*

XXIIII.

Expletis in Tetrarchia ſua nouem annis,initio decimi ab Auguſto relegatus eſt in exilium Archelaus, labente tum adhuc anno ab Actiaca pugna trigeſimo ſeptimo. Poſtquem, mutata denuo Reipub.forma,Romanos rurſum Iudæa Præſides habere cæpit: quorum tres primos,alterum continenter alteri ſuccedentem Auguſtus miſit. Primus fuit Coponius quo Præſide ſe in templo manifeſtauit ſaluator, & de quæſtionibus legis,Doctores interrogans magis docuit, dum prudenter interrogauit. Coponio ſuccedaneum ſubdidit Cæſar M.Ambiuium, huic rurſus Annium Rufum:

quo

Digitized by Google

bius, Beda, Albertus Magnus, Auctor hiſtoriæ ſcholaſticæ, Abulenſis, & complures alij, quorum nomina, ac loca inferius indicabimus.

Tres autem præfatos Iudææ Præſides ab Auguſto poſt Archelai exilium ſucceſſiuè fuiſſe miſſos, affirmant Ioſephus lib. 18. cap. 3. vbi etiam res memorabiles percenſet, quæ ſub cuiuſq; Præſidatu euenêre. Auctor hiſtoriæ ſcholaſt. cap. 25. & 26. hiſtor. Euang. Abulenſis ad ſinem quæſt. 91. in 2. cap. Matthæi, Faſciculus temporum, Nauclerus tomo 2. generat. 1. Paulus Conſtantinus, Genebrardus & Daniel Angelocrator in Chronicis, Alfonſus Salmeron tomo 1. prolegom. 40. & tomo 4. Tractatu 2. Franciſcus Toletus annotatione 1. in ſecundum caput Lucæ, & annotat. 2. in 3. cap. Lucæ, Carolus Sigonius ad hiſtoriam Sulpicij. A quibus facit quod ſcribit Dio Caſſius ſolidæ fidei hiſtoricus lib. 55. Archelaum (quem ille vocat Herodem Palæſtinum) accuſatum coram Auguſto, & ab eodem relegatum; ſeptem annis ante, quàm vita abiret Cæſar. Eodem ſenſu ac calculo Albertus Magnus in 3. caput Lucæ relegatum ſcripſit Archelaum anno XLIX. Imperij Auguſti; nimirum ab eius Triumuiratu. Nec diſſentit Franc. Toletus ſupra annotat. 1. quando planè in eoſdem recurrens circulos notauit Archelai exilium incidiſſe in LII. annum à cæde Iulij Cæſaris. Fauet his poſtremò Hegeſip. lib. 2. cap. 3. Scaliger, alij. Sed ne illud quidem hic prætoribo, quod vt perpetua eſſe debet rerum quæ veritate nituntur conſtantia, ita optare hoc quam præſtare ſit procliuius ei qui veritatis ſemel orbitam excеſſerit. Documento ſunt plerique Chronologorum, qui cum Euſebij ſecuti auctoritatem, ſtatuant exilium Archelai anno extremo vitæ Auguſti, cætera aſſentiuntur Ioſepho; vt tres ab Auguſto ſuccedaneos aiant Præſides datos Iudææ poſt exilium Archelai. Non eo inficias in hac illos narratione oppidò quam multa miſcere ἀνοίκεια καὶ ἀσύστατα: vt & in illa, quâ Herodis regnum ſeptem & triginta annis probè terminant ex quo Romæ anno ſexto Iuliano regnum Iudææ indeptus eſt, & perperam deinde natale Saluatoris in trigeſimum, vel XXXI. XXXII. aut XXXIII. conferunt annum regni Herodis, quem cum XLII. principatus Auguſti conſociant. Quod quid aliud eſt, quam teſtam agglutinare ferro vel funem ne-

G   *ctere*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ſtere ex arena! In quem tamen lapidem vulgus incurrit Chronologorum.

2. Quoniam itaq; vniuerſam diruit ſtructuram, quiſquis annum vnum velut lapidem (quod de oratione Lyſiæ dici ſolet) ſuſtulerit, ne in vniuerſa noui teſtamenti hiſtoria, malè iugata vel focillata innectatur annorum colligatio, ad quatuor eiuſdem numeri Epochas, perpetuò velut ad Cynoſuram reſpectus adhibendus. Prima eſt anni triceſimi ſeptimi poſt dominicam paſſionem, quo Apoſtolorum principes Capitone & Rufo Coſſ. Neroniano cæſi ſunt gladio. Hoc quippe filo non à Tragica illa Ariadna ſed à pia matre Eccleſia, & ab eo, qui inter eius vbera commoratur æterna ſapientia accepto, nullum non ingredietur lector labyrinthum, & inoffenſo calle ac retrogrado ordine Chriſtum reperiet mortuum 23. die Martij, anni XXXI. Dionyſiani, Tiberio V. & Ælio Seiano Coſſ.

Vide Annotat. XX.

Altera eſt Epocha anni triceſimi ſeptimi principatus Philippi Tetrarchæ, qui cum viceſimo concurrit anno Imperij Tiberij. Teſte Ioſepho lib. 18. Antiquit. cap. 6.

Tertia eſt anni itidem triceſimi ſeptimi ab Actiaca pugna quo pulſus eſt Archelaus ab Auguſto in Exilium; teſtibus Ioſepho, Dione Caſſio, Hegeſippo, Ioſippo, Alberto Magno, & Franciſco Toleto locis præallegatis.

Quarta eſt anni rurſus triceſimi ſeptimi, quo vita pariter, ac regno ſpoliatus eſt Herodes Aſcalonita: qui anno ſexto Iuliano, Caluino II. & Aſinio Pollione Coſſ. Romæ regnum accepit Iudææ, & totis deinde XXXVII. annis vſq; ad Paſcha ferè anni XLIII. Iuliani illud adminiſtrauit. Cui rei teſtimonio eſſe poſſunt Ioſephus lib. 14. Antiq. cap. 26. lib. 17. cap. 10. lib. 1. de bello cap. 16. & 21. Joſippus Gorion lib. 5. cap. 9. 12. & 41. & idem ipſe, vel alius auctor lib. de excidio Hieroſolymorum Dio lib. 55. Hegeſippus lib. 1. cap. 45. Appianus Alexandr. lib. 5. bellorum Ciuilium, Seuerus Sulpitius lib. 2. in ſacram hiſtoriam, Freculphus lib. 7. Chronici cap. 18. Cedrenus in compendio, Haymo ad illud Matthæi 2. Cum natus eſſet Jeſus. Pſeudophilo in breuiario temporum, Auctor hiſtoriæ ſcholaſticæ cap. 18. & 19. hiſtor. Euangel. Vincent. lib. 6. hiſtor. cap 51. 99. 200. & 201. Sabellicus Enneade 6. libri 9. & Enneade 7. lib. 1. Genebrar.

lib. 2.

Digitized by Google

lib. 2. Chronol. Maſſæus Cameracenas libro 8. Chronici, qui Euſebium hic à Ioſepho diſcrepantem, ſequacibus ſuis ludibrio fuiſſe ait. Nec iniuriâ. Quando Euſebius in Chronico, à ſeipſo diſſides in li. 1. hiſtoriæ cap. 5. vbi noſtrum calculum probat. Omitto Albertum Magnum, & Franciſcum Toletum locis prænotatis, nec non Alfonſum Salmeronem tomo 3. Tract. 32. & tomo 1. Prolegom. 40. & Cornelium Ianzenium cap. 11. concordiæ, & alios minoris nominis quos fama obſcura recondit.

3. Iam verò nihil hac in re mihi reliquum factum eſſe video, quam vnum hoc, quod intereſt & me monere lectorem & lectorem ſcire ne ſpecioſi pedes in lapidem impingant offenſionis. Locum indico in Ioſepho ſalebroſum nec vlla hactenus contaminatione ſuſpectum libro 14. Antiquitat. cap. 17. vbi Antipater filio ſuo Herodi contuliſſe narratur præfecturam Galileæ cum admodum adhuc iuuenis & quindecim duntaxat eſſet annorum: poſt confectum à Iulio Cæſare bellum Alexandrinum Caleno & Vatinio Coſſ. Eodem porro narratore Ioſepho libro 17. Antiquitat. cap. 8. & libro 1. de bello cap. 21. Herodem fuiſſe conſtat ſeptuagenarium, quando diem clauſit extremum. Quæ ſi vera ſunt, & noſtra hæc velut arenæ ac ſuccidiuo cineri inædificata ruunt omnia, & Herodes vitam ac regnum ad annum vſque L V. Iulianum P. Dolabella & C. Silano Coſſ. propagârit. Is quippe ſeptuageſimus fuit ætatis annus, his qui Caleno & Vatinio Coſſ. annum duntaxat quintumdecimum gerebant vitæ. Sed enim cum annum inter L V. & L IX. Iulianum quo vita exceſſit Auguſtus non plus tres anni intercurrerint, & tamen ſole clarius ſit nouem ſaltem annos à morte Herodis regnaſſe Archelaum, quem tandem relegauit Auguſtus; ex ipſis rebus ac temporibus palam eſt, lapſum aliquem graphicum hic irrepſiſſe. Dico itaque dimidij apicis euariatione, totum Ioſephi ſenſum mutatum ac mutilatum eſſe. Quem ſic vindicabis à nota ſi pro eo quod eſt in græco νέῳ παντάπασιν ὄντι, ιέ γὰρ αὐτῷ ἐγεγόνει μόνα ἔτη, hoc modo legas κέ γάρ. Hoc eſt viginti quinque. Iuuat hanc meam coniecturam. 1. Quod perſimiles errores multi ex compendijs ſeu cyphris numerorum in Ioſephi codicem, vitio librarij irrepſerint. Vnde doctè obſeruatum à cla-

Dimidij apicis mutatio totum Ioſephi textum mutilauit.

Pro ιέ legendum κέ.

Digitized by Google

uiſſimo ſcriptore annalium tomo primo ad annum Chriſti LXXII. num. 2. pro κ ſcriptoris velocitate ex facili literam ι ſubſtitui: vbi ſimile mendum Ioſephi ineſſe textui ſuſpicatur. 2. Quia haud eſt credibile, præfecturam Galileæ commiſſam fuiſſe puero Alienigenæ quindecim annorum: quando ipſe Ioſephus lib. 19. Antiquit. cap. 7. Herodem Agrippam Iuniorem teſtatur nequaquam permiſſum eſſe à Nerone (cui alioqui intimè carus erat) regnum adire hæreditarium mortuo parente; hocque tantum nomine quod ſeptimumdecimum non eſſet prætervectus annum vitæ. 3. Quod res per id tempus ab Herode geſtæ in quindecim annorum puerum minimè cadant. Erat enim iam tum animo & manu ſtrenuus, militiæ gnarus; qui & regionem à Prædonibus repurgauit & Ezechiam quendam primarium Syriæ depopulatorem alioſque complures ſupplicio affecit: qui & dicturus cauſam ſola ſua præſentia Iudices perterruit, itaq; attonitos reddidit vniuerſos: vt coram eo nemo vel hiſcere auderet. Adi Ioſephum lib. 14. cap. 17. & 21. & lib. 1. de bello cap. 8. & Hegeſippum lib. 1. cap. 26. 4. M. Antonius Magiſter equitum cum veniſſet in Syriam cum Gabinio, exceptus eſt hoſpitio ab Antipatro & iam tum familiaris fuit Herodi: vti auctores laudare poſſumus Ioſephum libro illo 14. cap. 19. & libro 1. de bello cap. 10. & Ioſippum libro 4. cap. 24. & 25. Atqui Gabinij & Antonij in Syriam aduentus poſt Conſulatum euenit Gabinij, Lentulo & Metello Coſſ. quemadmodum ex Appiano & Ioſepho ritè ſignauit Sigonius in faſtis. Hoc vero argumento eſt manifeſto Herodem Conſulatu illo Caleni & Vatinij non ſolum 15. ſed 25. fuiſſe annorum. Alioqui ſexennis tantummodo fuiſſet quando cum Antonio Gabinius venit in Syriam. Nulla porro Magiſtro equitum cum puero ſexenni intercedere familiaritas potuit. Deniq; ne longius faciam; filum perſuadet Chronologia, & argumenta hic inſerta omnia; Herodem vita functum ante exilium Iuliæ Auguſti filiæ, & Caij Cæſaris in Oriente præfecturam anno XLIIII. Iuliano.

4. Tandem verò vt breuiter coaceruationem argumentorum explicem, haud abs re erit primam hanc partem quadam velut dial-
Geneſ.31.v.47 *lage terminare, exemploque Patriarchæ Iacob ſublimem hoc loco*

erige-

Digitized by Google

erigere titulum quem cumulum ſeu aceruum teſtimonij appellemus. Ea propter hic lapis Lydius eſto: vt ille habeatur annus Chriſti natalitius; quo cum velut in cythara peraptè cohærent omnia quæ & ſanctorum maieſtas Euangeliſtarum, & Eccleſiæ Pontificum veneranda Canicies, Patreſq; ac Doctores & veterum annales, illius anni ſymbola tradidère. Hic igitur X L I. annus Julianus, eſt Tribunicia Poteſt. Auguſti 18. quo cunctis gentibus vnâ pace compoſitis, Iani portas Auguſtus tertium clauſit: quo & Sentius Saturninus cenſus egit in Iudæa quibus deſcriptus eſt Dominus; quando exijt edictum à Cæſare Auguſto vt deſcriberetur vniuerſus orbis; Hic ille eſt annus ex inſtitutione Julij Cæſaris biſſextus, quo ſolo naſci potuit Dominus ſuperſtite Herode ſeniore, ſic vt anno quintodecimo Jmperij Tiberij Cæſaris triginta circiter eſſet annorum: quo & per ora vulgi publica fuit fama regnum auferendum haud multò poſt ab Herode atque in Meſſiam transferendum; & gens omnis Iudæorum Herodi ac Cæſari fidelitatis adacta eſt præſtare iuramentum. Adhac non integro annus hic biennio à cæde abeſt bimulorum; quos Herodes vna pariter cum filio ſuo Antipatro occidit iuxta tempus ortus ſtellæ & Meſſiæ. Hic præterea annus vulgari illi & receptæ reſpondet ſententiæ, quâ & Ioannes tum adhuc bimulus fugâ fertur ſubtractus Herodis Infanticidio & Chriſtus poſt biennalem in Ægypto fugam, poſtliminio eſt reſtitutus patriæ; proximo ab exceſſu Regis Herodis anno, nec multò poſt obitum Regis Damaſci, quemadmodum prævaticinatus eſt Iſaias. Rurſus cum hoc ſolo conueniunt anno quæ D. Chryſoſtomus, Anaſtaſius Patriarcha Antiochenus, & vetuſtas famoſa memoriæ poſterorum commendauère Annunciationem Natiuitatis S. Joannis Baptiſtæ die 24. Septembris, in die ſolenni menſis ſeptimi Luna decima Tiſri, factam eſſe, eo anno qui proximè præceſſit annum Jmperij, hoc eſt Tribunicia Poteſt. Tiberij, nouem annis ante correctum plenè curſum anni. His addicunt qui Joannis conceptionem eueniſſe affirmant die 29. Septembris in feſto Scenopegiæ Luna XV. & quidem in Sabbato. Jn Solum item hunc quadrat annum, vt 25. Martij inciderit in XIV. Lunam primi menſis, ſeu in Cœnam puram & vigiliam Paſchæ, eandemque ſecundam hebdomadæ feriam: ſimiliter vt 24. Junij,

Digitized by Google

ACCLAMATIONES

NOBILI ET DOCTISSIMO DOMINO LAVRENTIO SVSLYGÆ, POLONO OBLATÆ.

ITe Theſes ſacræ, Penetralia viſite Regum,
Viſite magnificos Archiducumque lares.
Stemmatis haud titulos, non auri fertis aceruos,
Stemmate, diuitijs, affluit Aula Ducum;
Aſt obſcura diu myſteria panditis, Ite
Gloria, quam fertis Regibus vna deeſt.

à M. Ioan. Crœſſelio Vilſeccenſi, S. Theol. Licen. Sereniſſ. Leonoræ, Mariæ Magdalenæ, & Conſtantiæ, Archiducum Auſtriæ, &c. Pracep. & Sacellano.

Eidem.

IMplicitos ſpiris nodos tortumque Draconem
Ingenij mira dexteritate capis.
O dextram æterna Cedro, dignamque trophæis,
Quamque ſtupens orbis luſtret vtrumque latus.

à Stephano Erdeodi, Comite perpetuo Montis Claudij, Conuictore.

Digitized by Google

EIDEM.

SVSLYGA, quid magnos ſeris inter ſchiſmata Reges,
Pro quo decertent forſitan orbis abeſt?
Mala iacis Theſium: doctiſſimus auferat, inquis,
Num qui decernat viuit in orbe Paris?
Magnus es ingenio, Ioue vel prudentior ipſo.
Cur? tua difficili munera lite carent.
Nam ne decertent, pomum offers omnibus vnum,
Grana ſed in multos multiplicata iacis.

à M. F. Georgio Falbio, Benedictino Garſtenſi, Theologo, Conuictore.

EIDEM.

E *Labyrinthæis annorum flexibus, auſu*
Fælici nobis SVSLYGA *pandet iter.*
Illius ad radios carpat veſtigia, SOLIS.
ORTVM IVSTITIÆ *cernere quiſquis auet.*

à Ioanne Zenone Kawka Riczansky, Lib. Barone de Riczian, Conuictore.

Sere-

SERENISSIMO PRINCIPI

WLADISLAO

DIVI SIGISMVNDI III.

REGIS POLONIÆ, &c. FILIO, REGNORVM POLONIÆ, SVECIÆ, GOTIÆ, VANDALIÆ, NEC NON MAGNI DVCATVS LITVANIÆ, RVSSIÆ, PRVSSIÆ, MAZOVIÆ, &c. PRINCIPI HÆREDI.

LAVRENTIVS SVSLYGA.

Paternam, & Patriam Fælicitatem.

TENELLVM TENELLO tibi, tenelli Regis CHRISTI ab anno duodeno ad extremum vitę vſque annum ætatis progreſſum, WLADISLAE PRINCEPS, eo maximè conſilio do, dico, conſecro; vt quem annorum numero exæ-

quaſti, cum eodem in ſapientia cæleſti, ſi non æquali linea comes (*Exultauit* enim *vt Gygas ad currendam viam, à ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum*) eodem ſaltem itinere proximus conſecla aſſectêre. Enimuerò licet tibi maiorum domi imagines ſint non tam auro & coloribus ſplendidæ, quàm fortitudine, prudentia, iuſtitia, temperantia, omnique recti perfectiq; animi cultu cum ſanguine ipſo in te deriuatæ: eſt tamen ſanguine exemploque maiorum maior potentiorque vis in eo, qui & illis tam ſingularem animum, & tibi illorum ſanguinem, exemplumque virtutis donauit. Abiuêre nimirum illi, ſceptrumque, diadema, robur etiam Regiæ Maieſtatis, aut ſi quid aliud mortalis honor virtuti largitur cum ſpiritu poſuêre exanimes, ſola ſanguinis indole, animique

vir-

Digitized by Google

virtutis imagine ſuperſtite, quam vel animare ipſi in poſteris ſi emoriatur, aut illuſtrare ſi obſcuretur, nec viribus poſſunt, nec induſtria. Princeps verò Rexque CHRISTVS, cuius virtus ætate nec creuit, nec ſenuit, nec corporis infirmitate elanguit, qui poſt mortem ſuperſtes eſt, qui Sceptrum, Diadema, robur, omnemque regiam maieſtatem nec ponit nec poteſt; quam in ſe pietatis probitatiſque non imaginem ſed ſpirantem vitam habuit, eandem non in ſanguine aut ſimulachro ſuis proponit poſteris, ſed in voluntate animoque conſtanter & perpetuò operatur. Eos verò ſibi poſteros ducit, ac filios qui illum auis, atauiſq; ac omnibus maiorem maioribus venerantur. Et verò ſi quid vnquam in maioribus tuis admiratus es, ſi BIRGITTÆ cum CATHARINA filia ſanctiſsimã

Digitized by Google

vitā ſuſpexiſti, ſi proaui B. CASIMIRI integerrimos mores recordaris; ſi vtriuſq; WLADISLAI Iagelonum religionē auditione aliquando percepiſti; ſi Auſtriacorum ad quos per matrem genus ac ſanguinem refers RVDOLPHI, CAROLI, FERDINANDI, Clementia, liberalitas, fidei ardor; ſi AVIÆ maternæ cana probitas, robuſtaque pectoris virilitas; ſi defunctæ MATRIS translata ad Diuos pietas; ſi PATRIS & Regij, & viri optimi omnis virtutis forma te animat (atque vtinam diutiſsimè animet) ſcias per eum quem tibi propono, à maioribus olim acceptam, conſeruatam, auctam. Sapienter profectò vates ille cæcus non cæcus Deos δοτῆρας ἐάων & ἀγαθοδώρους appellauit, iactantemque inſolenter vires militaremque ſcientiam Achillem eadem authoritate compeſcuit Agamemnon

mnon εἰ μάλα κάρτερος ἐσσι θεὸς πȣ σοὶ τόγ' ἔδωκεν: quod veritate verius ſit *omne datum optimum & omne donum perfectum deſurſum eſſe deſcendens, à Patre luminum*; Rege IESV *de cuius plenitudine & nos omnes accepimus.* Huic aures (tu PRINCEPS) animũq; aduerte, vt *cùm perfecta virum firmauerit ætas*, illud itidem Regis Regum in te olim Rege locum inueniat Elogium, *Regnabit Rex & ſapiens erit & faciet iudicium & iuſtitiam in terra.* Hæc tibi Mazouius ego, alumnus illius gentis, quæ ſi pietatem ſpectes, Chriſti religionis, Apoſtolicorum dogmatum, ieiuniorum, quibus ad ſingulas D. VIRGINIS celebritates præparatur, pœnitentiæ denique, & illius quæ ſecretò & clam alijs peccata vindicat, & alterius quæ publicè in ſeipſam, pœnis ſæuit, cultrix eſt; ſi generis decus, quæ in viſceribus regni

Digitized by Google

plantata per ampliſsimas Poloniæ, Ruſſiæq; prouincias, quadraginta millia nobiles nobiliſsimarum venas familiarum ramoſq; porrigit; ſi animi virtutem, quę bello duces, paci Senatores, Eccleſiæ Præſules, Reipub. Proceres plurimos ſapientiſsimoſque propagauit; offero precorque, magna ſpe, vt quem tibi viuo & ſpirante vultu imitandum exhibui, à te expreſſus, meam, patriæque meæ pietatem, D. VIRGINIS & Apoſtolicæ ſedis & fidei obſeruantiā conſeruet, promoueat, remuneretur. Tu vero bonum bono animo oblatum munus boni conſule: bonum WLADISLAVM te bonus Chriſtus ſicut vitæ conſeclam, ita beatitatis conſortem fortunet. Chriſti meiq; memor vale. Græcij ex Vniuerſitate Archiducali Kalend. Ianuarij, Anno M. DC. V.

PARS SECVNDA.

IESVS DVCTOR ET DOCTOR POPVLI, CONSTITVTVS REX SVPER SION MONTEM SANCTVM DEI PRÆDICANS præceptum eius.

I.

QVoniam ſimilis eſt dilectus Eccleſiæ ſponſus Capreæ, hinnuloque ceruorum & ipſe venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles: tranſiliamus & nos ſilenter cum illo reliquos ætatis eius retrò annos, quorum nulla apud Euangeliſtas, veterumque memorias ne tenuiter impreſſa extant veſtigia. Illos vero dominicæ prædicationis quanquam ñon inſtar lacenæ nihil non ſagaciſſime odorantis, attamen diligenter & quantum noſtri fert mediocritas ingenij ſuâ quoſque nota ac proprio inſignitos charactere hic reddamus. Et annum quidem dominici baptiſmi Euangeliſta Lucas tanquam excellentiſſimus Pictor & velut in Tabula magnificentiſſimis pulcherrimiſque delineauit coloribus, & chronologico flore depinxit: quando illum *quintumdecimum* appellauit *Imperij Tiberij Cæſaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha autem Galileæ Herode, Philippo autem fratre eius Tetrarcha Ituraæ, & Thraconitidis regionis & Lyſania Abilinæ Tetrarcha ſub Principibus ſacerdotum Anna & Caipha.* Annum porro quintumdecimum Tribuniciæ Poteſt Tiberij, atque adeo Imperij eius, veteres memoriæ & Tabulæ ſignant Faſtorum Iunio Silano & Silio Nerua Conſulibus anno LXXIII. Iuliano, Indictione prima. Quo pariter anno Inuentor veritatis, & Magiſter vitæ IESVS Chriſtus à Ioanne aquis tinctus Iordanis, incæpit dare hominibus præcepta viuendi. Quodſi tempus omne in collecto fiat ab reædificata olim per Nehemiam perfectè Hieroſolyma ad hunc vſque annum,

Cantic. 2. v. 9.

Lucæ 3. v. 1.

Digitized by Google

De his plura in 4. parte Theſium.

annum, quadringenti & octoginta tres exinde producti reperientur anni, & iuſtificabitur in ſermonibus ſuis Daniel, quando ad calculos ventum erit. Quamobrem

Si quid habent, vt habent veri præſagia vatis

fortiter hic efferimus quicquid in nos agmine incurrant Chronologi baptizatum fuiſſe Dominum Silano & Nerua Coſſ. XXVIII. anno Æræ Dionyſianæ, Æræ autem Auguſtææ LXVI. Cyclo Lunæ X. Solis IX. Epacta XVI. Litera Dominicali D. C. Martyrologij r.

ANNOTATIO XIIII.

Chriſtum Opt. Max. anno LXXIII. Iuliano, Silano & Nerua Coſſ. Indictione prima fuiſſe baptiZatum a Ioanne, auctores laudare poſſumus S. Hieronymum, Epiphanium, Chryſoſtomum, Auguſtinum, Philaſtrium, Sulpicium, Oroſium, Cedrenum, Zonaram, Alexandrum Monachum, Marianum Scotum, S. Thomam, & qui his æuo ſuperiores ſunt Clementem Alexandrin. Origenem, Iulium, Africanum, Apollinarium, Tertullianum & Lactantium, alioſque inferius parte tertia recitandos. Etſi porro annum hunc dominici baptiſmi in omni mortalium memoria immortalem nõ eâdem omnes nota inſigniuerint, tamen quæ dicunt idem valent. Quod quia ſequentia edocebunt, non longius facio. Quo porro moleſtum de via ceſpitem circuncidamus, anſaſque ad reprehendendum, vel obſtrigillandum tollamus, vnum obiter moneo; regulam eſſe chronologorum quam & triumphales probant Tabulæ Capitolinæ, & Diodorus Siculus, & Dionyſius Halycarnas. S. Hieronymus, Euſebius, ac omnis denique hiſtoricorum vtriuſque ordinis firmat manus; quæ in priore parte anni Romani ſunt geſta, referri ſæpenumero à ſcriptoribus προληπτικῶς ad annum principatus, vel vrbis aut Olympiadis, qui preſsè ac propriè in poſteriore duntaxat parte anni incipit Iuliani. *Vnum dediſſe exemplum ſatis habebo. Igitur pari ſenſu baptiZatus aſſeritur Dominus anno XV. Tiberiano & occiſus XVIII. quo Apoſtolorum Principes à S. Hieronymo, Euſebio, cæteris notantur anno XIV. principatus Neronis palmam accepiſſe Martyrij, vel quo à Ioſepho bellum Iudæorum cæpiſſe ſcribitur in Maio, anno XII. Neroniano & CX. Iuliano. Nimirum*

κατὰ

Digitized by Google

κατὰ πρόληψιν *& more Romanorum annos à Ianuario arceſ-ſentium.*

II.

Quo autem menſe, quotoue die, quâue hebdomadæ feria aquis luſtralibus Iordanis à Ioanne tinctus ſit Dominus, ſententiæ veniunt. Nos receptam & tritam libenter inimus viam, quam & Eccleſiaſtica probat traditio; Chriſtum menſe Ianuario, VIII. Idus baptiſmo luſtratum: Quem diem, tertiam hebdomadæ fuiſſe feriam, & XXII. vel potius XXI. Lunam menſis Thebeth Cyclus Solis & Lunæ, ac dominicalis anni litera D. iuncta Epacta XVI. & litera Martyrologij r, ac cæteris anni characteriſmis irrefutabilem faciunt fidem. Ex æra autem templi Domini, perfectè ſtabilitam habemus æram Domini templi. Quoniam Deus *qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe* de tenebris Iudaicæ perfidiæ *illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in facie Chriſti Ieſu. Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc* inquiebant inſipientes in populo primo paſchate dominicæ prædicationis. Quibus verbis dictu paruis, ſed immenſis æſtimatione omnis tergiuerſatio eluditur. *Hic enim ſapientia eſt: qui habet intellectum computet numerum templi. Numerus etenim hominis eſt &* numerus annorum vſque ad Chriſtum ducem. Illis porro verbis nimium quam apertè ſignificatur, tot iam labentibus annis templum hoc ab Herode cæptum ædificari. Anno ſiquidem XXVII. Iuliano, proximo quam Auguſtus Syria exceſſerat admota primum eſt ab Herode conſtruendo huic templo manus. Quare digitorum duntaxat ſupputarijs (vt phraſi vtar Tertullianiaca) geſticulis adſidendum, vt ad hunc quo de agimus annum LXXIII. Iulianum ne minimiſſimum tranſuerſum digitum pertingamus. Enimuero nulla non ratione & hic locum reperit illud Satyrici.

2. Cor. 4. v. 6.

Ioan. 2. v. 20.

Ioſephus li. 15. Antiq. cap. 14.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos vltra citraque nequit conſiſtere rectum.

Horat. libro 1. ſermonum Satyra 1.

ANNOTATIO XV.

Luſtralibus à Ioanne aſperſum aquis Dominum VIII. Idus Ianuarij, niſi qui Iliadem velit pangere poſt Homerum nihil neceſſe ha-

I *bet*

Digitized by Google

bet demonſtrare. Rem enim hanc ex inſtituto & pererudite tractarunt Illuſtriſſimus ſcriptor annalium, Franciſcus Suarius, Benedictus Pererius, ac præter hos alij. Illum verò diem fuiſſe tertia feria Maximus Monachus mihi atteſtatur; cui fidem facit indubitabilis anni character & dominicalis litera D. Vt vel hinc Sole clarius ſit Marianum Scotum, quando feria prima baptiZatum fuiſſe vult Dominum, contra ſe ſententiam ferre. Conuenienter autem feria tertia aquis ablutus eſt Dominus: quippe qui in illa congregauit olim aquas quæ ſub cælo ſunt in vnum locum, vt appareret arida. *Geneſ.1.v.9. Die deinde à baptiſmo Chriſti LVIII. Petrum & Andream vocatos à Domino Epiphanium hæreſi LI. do auctorem. Quem etſi non in omnibus laudo, in hoc tamen laudo. Quâ porro ratione annus hic fuerit XLVI. ædificati ab Herode templi ex ſeptima annotatione Tabulæ ediſces.*

III.

Quod ſi ſummorum Pontificum annos ſubtilius ſubducentes, cuiuſque tempus ſedis ad libellam expendamus, liquido conſtare poterit ea quæ de ſacerdotio Iudaico tempore Chriſti in Annam & Caipham bipartito creduntur in vulgus, quæ item de quinque quatuorue Summis Pontificibus referuntur ſub quibus prædicârit Dominus ex vero non eſſe. Annis quippe exinde productis à quintodecimo Imperij Tiberij, vſquedum Præſidatu Iudçæ abdicatus eſt Pilatus, anno extremo vitæ ac principatus Tiberij, ſummo continenter functus eſt ſacerdotio Caiphas; à quo tandem mortis retulit ſententiam Auctor vitæ. Et quanquam magno quidam & excellenti ingenio præditi aſſeuerent ſcriptores, Magiſterium Chriſti poſt lauacrum quinquennium tetigiſſe, atque in quinto demum paſchate, cruciatum mortis Dominum ſubijſſe, nobis tamen prope certum habetur & exploratum; non plus triennium & pauculos inſuper menſes vniuerſam Chriſti ſtetiſſe prędicationem. Quo pariter luce clarius eniteſcit vt verbum in ore Danielis verum ſit: *Confirmabit autem pactum multis hebdomada vnâ & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium,* quodque caput ac ſumma rei, *occidetur CHRISTVS.* Quare & ab arbore fici diſcimus Parabolam, quam prorſus ex iudicio adludens obliquatoque oculo ad iſta reſpiciens Dominus, prædixit anno quarto cul-

Conſule annotamentum Tabulæ ad Annũ 63. Iulianum.

Dan.9.v.27.

Lucæ 13. v.6.

Digitized by Google

to culturæ ſuæ, ni fructum faceret ſtirpitus excidendam. Parum proinde firmo nituntur argumento qui primum Domini miraculum & metamorphoſin illam aquæ in vinum, ſexto die Ianuarij peractam volunt, euoluto præfinitè anno à die baptiſmi. Nam & ſingulorum obſtant notæ infallibiles annorum, & non decuit cæleſtis doctrinæ Magiſtrum integro anno præfici Cathedræ, nullo adhibito miraculo quo eam corroboraret.

ANNOTATIO XVI.

Quibus adlubeſcit quatuor ſolidos effluxiſſe annos, & menſes ternos à Chriſti Baptiſmo, vſque ad eius ſupplicium, his ſe auctoribus tueri poſſunt qui integrum interponunt annum inter Chriſti lauacrum & miraculum vini. Poſt hoc quippe miraculum quatuor adhuc ex ordine percenſet paſchata Ioannes in quorum extremo paſſus eſt Seruator. His itaque addicunt Rupertus Abbas lib. 3. de diuinis officijs cap. 24. Albinus qui & Alcuinus in libro de Eccleſiaſticis officijs, Cap. de baptiſmo Domini, Auctor hiſtoriæ ſcholaſtica cap. 33. hiſtoriæ Euang. Vincentius lib. 7. cap. 7. S. Antoninus parte 1. titulo 5. cap. 1. §. 5. Martinus Polonus lib. 4. Chronici, Melchior Canus lib. 11. de locis Theol. ad 6. Guilielmus Durand. Ludolphus, Petrus de Natalibus, Carolus Sigonius, Caliſtus Placentinus, Hugo Cardinalis & Caietanus, & qui iſta vberius & ſubtilius ad examen adduxit R. P. noſter Franciſcus Suarius 3. par. tom. 2. diſp. 30. ſectione 3. Noſtræ porro æſtimationis auctores quia longum, etiam ſuperfluum putamus commemorare Pererudite id & copioſe præſtitère Alfonſus noſter Salmeron tomo 1. prolegom. 39. Benedictus Pererius lib. 11. in Danielem q. 7. Ioannes Maldonatus ad 2. cap. Lucæ V. 2. & 5. cap. Ioannis. Quibus & honorarium adiecit calculum Illuſtriſſimus ſcriptor annalium tomo primo.

IIII.

Iam ad ſecundum dominicæ prædicationis annum quod attinet veſtigia quædam eius ſublucent Ioannis 5. cap. vbi diem feſtum Paſchæ eo anno, maieſtas teſtatur Euangeliſtæ in ſabbatum incidiſſe hebdomadarium. Propterea enim Paralytico ad Probaticam Piſcinam ſanato immurmurabant Phariſæi. *Sabbatum eſt, Non licet tibi tollere grabbatum tuum.* Vbi iterum ſalutem ex ini- *Ioannis cap. 5. v. 1. & 10.*

Digitized by Google

micis noſtris condiſcimus. Nam ex omnibus annis qui in diſquitionem adduci queant, ſolo anno LXXIIII. Iuliano duobus geminis Coſſ. Paſchalis Iudæorum ſolennitas ſeu XV. Luna primi menſis in diem ſabbati incurrit. Quæ res liquido conſtare poteſt ex Cyclo Solis & Lunæ, & Epacta cum literis dominicalibus & Martyrologij, in Tabula noſtra affixis. Et quanquam mira ſit interpretationum de hoc feſto licentia, tamen inter variantes ſententias, magis illa aſſidet animo quæ & veritati. Nimirum de Paſchali ſolennitate locutum Euangeliſtam. Cui rei magnam aſtruit fidem multitudo, auctoritas & ſectatorum huius aſſertionis nobilitas ac ratio. Alio autem manifeſtiore charactere annum iſtum *Luca 6.v.1.* deſcripſit Lucas dum Chriſti diſcipulos in Sabbato ſecundo primo vulſiſſe ſpicas enarrat, atque illas friantes manibus, frumenti grana eſitaſſe. Quo veluti per nebulam perſpicimus, iſta in anno Embolymæo (qui toto tempore quo docuit Redemptor, nullus fuit alius præter quam LXXIIII. Iulianus) contigiſſe. Quare ſi & nos Euangelica hæc tranſeuntes ſata, exemplo Apoſtolorum ſpicas haſce manibus confricemus, haud magno labore & annum colligemus quo hæc facta ſunt, & exinde rurſus alium quo granum frumenti cadens in terram mortuum fuit, aridaſque duntaxat paleas & ſtipulas reliquit Synagogæ.

ANNOTATIO XVII.

Quod ſi conuenienter ſacris literis ſentire volumus, diem illum feſtum Joannis 5. fuiſſe Azymorum, neceſſe habemus confiteri. In præſens tantum ſuffragatores memorabo; quorum ἀρχιςράτηγος *eſt Irenæus lib. 2. contra hæreſes cap. 39. Euſebius in Chronico & lib. 8. demonſtrationis Euangel. D. Hieronymus & Theodoretus in 9. c. Danielis, Rupertus in 5. cap. Ioannis, Ibidem Michael de Palacio, Ioannes Gagnæus, & Franciſcus Toletus, Abulenſis 2. par. defenſorij. Benedictus Pererius libro 11. in Daniel. q. 7 Franciſcus Suarius tomo 2. in 3. par. diſp. 30. ſect. 3. Eruditus auctor annalium ad annum Chriſti 32. & Alfonſius Salmeron tomo 1. proleg. 39. qui & alios adducit idem ſequentes agmen.*

2. *Ecquod nam illud fuerit Sabbatum* δευτερόπρωτον, *Lucæ 6. pene quot capita, tot ſententiæ. Nobis ea nominis nota placet; vt*

vt Sabbatum primum ſit à ſecundo ſeu altero die Paſchæ quo offerebatur Manipulus primitiarum, dominicæ imago reſurrectionis. Nam ſicuti nos dominicas a Paſchate vel Pentecoſte numeramus, ſic olim Iudæi numerabant ſeptem hebdomadas plenas, ſeu ſeptem Sabbata ab altero die Sabbati, quo obtulerant Manipulum Primitiarum. Teſte Leuitico cap.23. v.15. Quare ſic dictum δευτερόπρωτον *quaſi* πρῶτον ἄπο δευτέρας τοῦ πάσχα.

V.

Tertium porro annum Euangelicæ prædicationis lucidiſſima nobis diſtinxit nota ac veluti cæleſtis quidam Apelles *calamo ſcribæ velociter ſcribentis* depinxit diſcipulus ille quem diligebat IESVS; Ioannes inquam Euangeliſta, eâ narratione quâ octauam ſcenopegiæ quæ proximè dominicam antecurrit paſſionem, in ſextam innuit incurriſſe feriam. Scribit namque Chriſtum diluculo poſt nouiſſimum diem ſolennitatis (quæ ſemper erat XXII. Tiſri) adijſſe ad templum, atque inde paulo mox digreſſum illuminaſſe cæcum à natiuitate, idque in die Sabbati. Propter quod filij Belial, opus Domini calumniantes vociferabantur. *Non eſt hic homo à Deo qui Sabbatum non cuſtodit.* Vbi nobis iterum lux in tenebris Iudaicæ lucet perfidiæ; dum Phariſæorum calumnia, noſtra eſt doctrina. Ab anno ſiquidem quintodecimo Tiberij, ad dominicum vſque cruciatum, nunquam XXIII. Tiſri in ſeptimam concurrit feriam; præterquam anno LXXV. Iuliano, qui cum triceſimo competit Dionyſiano. Quo & illud pariter innoteſcit, hiſtoriam cæci nati atque in Sabbato illuminati eueniſſe iuxta verbum VERITATIS: *Vt manifeſtentur opera Dei in illo.* Eniteſcit & hinc quoque quare Iudæos à gentibus ſabbatiſmo diſcriminârit DEVS dicens: *Sabbata mea obſeruabitis, eritque ſignum vobis apud me in generationes veſtras.* Et apud Ezechielem. *Sabbata mea dedi eis vt ſint in ſignum inter me & ipſos.* Siquidem Iudæorum Sabbata non aliter nos recto deducunt tramite per vniuerſum CHRISTI Seruatoris noſtri hodæporicon, quam olim Columna Nubis per diem filios Iſrael in deſerto, vel Columna Ignis per noctem deduxit velut ouem Ioſeph. Quâ ſine Helice auium à regione veri Lector tenebis iter, & mox te anceps labyrinthus & error circumflexus aget.

Ioan. c.7. v.37. iuncto c.8. v.1. & c.9. v.14.

Leuitici 23. v.34. & 36.

Exodi 21.

Ezechiel. 20.

Exod. 13. v.21.

Digitized by Google

V.

Iſaias 40. Quoniam verò Ioannes Baptiſta veteris ac noui teſtamenti limes & horizon ac teſte Iſaia vox eſt, non in deſerto tantum clamans, ſed cunctis terrarum finibus reſonans, *Dirigite viam Domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri,* huc tendamus quò nos magnus Chriſti Tubicen atque Tibicen vocat, idem ipſe facem prælucens & quaſi lucerna fulgoris illuminans ac dirigens pedes noſtros in viam anni pacis, tam ortus, quam mortis Seruatoris. Multiformi autem ambage Eccleſiaſticos Tractatores hæc de Ioanne torſêre problemata. Quot annos vel quanto prædicârit tempore. Quo anno ac menſe vinclis carceribuſque mancipari cœperit. Quamdiu indidem coërcitus, ac quo denique anno, menſe, die, quaue feria, præciſis ceruicibus immarceſſibilem adeptus martyrij laureolam. Ad quæ omnia expedita eſt & laconica reſponſio, quam non temeraria aſſeueratione obtrudimus, ſed diiudicandam alijs vt & alia proponimus omnia. Contigêre Ioannis vincula ante ſecundum paſcha prædicationis Chriſti: quod illa Domini verba ſi *Ioan. 5. v. 35.* introſpiciantur, certè declarant. *Ille erat lucerna ardens & lucens. Vos autem voluiſtis ad horam exultare in luce eius.* Quo fit vt tempus omne legationis Ioannis ante vincula, ex facili vnius anni circulo coarctetur. Cædes porro eius illo temporis euenit interuallo, quod inter ſecundum & tertium Paſcha dominicæ prædicationis procurrit. Et vt de die menſis nihil habeatur explorati, attamen vero propius opinamur cædem Ioannis eo factam die quo reuertente ſemper anno ſolenni honore eam concelebrat Eccleſia XXIX. Auguſti, anno LXXIIII. Iuliano, feria ſecunda, poſteaquam annum ferme integrum carcer illum clauſiſſet, & haud multo egreſſus eſſet tertium annum ſupra triceſimum vitæ acceptæ.

VI.

Ioan. 10. v. 22. Ecquodnam verò illud fuerit feſtum, quo *facta ſunt Encania in Hieroſolymis & hiems erat, & ambulabat Ieſus in templo in Porticu Salomonis* à multis magis diſcuſſa, quam excuſſa veritas. Quodſi aſſertorum multitudine illam metiri placet, indubie Purificationem fuiſſe & dedicationem ſecundi templi, quæ poſt prophanationem Antiochi Epiphanis facta eſt à Iuda Machabæo, ne-

Digitized by Google

quicquam ambigemus. Sed enim feſtum hoc dedicationis haud paulo magis priſca quam ſint illa Machabæorum, attinere tempora, oracula teſtantur diuina, multo ſacratiora, quam Apollinis Delphici reſponſa *Pythia quæ tripode ex Phœbi, lauroque profatur.* Libro etenim ſecundo Machabæorum, Purificatio iſta templi 25. die menſis Caſleu annuo circulo recoli ſolita, appellatur *dies ſcenopegiæ & dies ignis qui datus eſt quando Nehemias ædificato templo & altari obtulit ſacrificia in die conſummationis templi.* Qua in re Nehemias & ipſe verus Prometheus Moiſi comparatur & Salomoni: qui pari prærogatiua ignem ætherea delapſum domo accepere, qui abſorpſit atque conſumpſit holocauſtum. Quo liquet Encæniſmum altaris quem fecit Iudas, in eundem incidiſſe diem cælitus dati ignis; qui Encænijs templi & vrbis per Nehemiam reſtauratæ conſecratus erat. Quam itidem appellatam fuiſſe feſtiuitatem luminum ipſe Ioſephus profitetur. Tametſi in originatione quam Etymologiam vocamus, quâ de cauſa ita ſit nominata, errotis miſceat aliquantillum. *Quia cæcitas ex parte contigit in Iſrael.* Per illa autem verba. *Et hiems erat,* tacite nobis innuit Euangeliſta, congelata tunc fuiſſe Iudæorum pectora, & cæleſti caritatis igne deſtituta; quando & adeſſe feſtinabant tempora, & dimidium ſeptuageſimæ Danielis hebdomadæ eo die præ foribus erat, itidemque annus quadringenteſimus octogeſimus ſeptimus completa per Nehemiam Hieroſolyma, celebrataque tum vrbis, tum templi dedicatione. Quamobrem ſi latentem verborum Euangeliſtæ mentem inſcrutemur, quaſi opere ſuo Chriſtum loquentem intuebimur. *Ecce iam venit Propheta magnus & ipſe renouabit Ieruſalem. Prope eſt tempus eius, & dies eius non elongabuntur. Miſerebitur enim Dominus Iacob & Iſrael ſaluabitur.*

2. Machab. 1. verſ. 18.

Ioſephus li. 12. Antiq. ca. 11.

Ad Rom. 11. verſ. 25.

Tu vide lector quæ huc faciunt in parte 4. Theſin, itemq; inibi annotatis.

Iſaias 14.

VIII.

Arduus, ſcaber & lubricus eſt is ſcripturæ locus, quo Lucas Ita ait non multis. *Et Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta:* vt græcus habet textus καὶ αὐτὸς ἦν ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ὤν. Complures qui Cæſarienſis Euſebij aſſectantes veſtigia, ac nixi fallaci Tabula, ſimul & veſtigia retro, obſeruata ſunt, ab anno illo principatus Tiberij quintodecimo, per triceſimum retro annos regredientes, CHRISTI natalem quadrageſimo-

Lucæ 3. v. 23.

quar-

Digitized by Google

quarto anno Iuliano, quaſi clauo affigunt: baptiſmum deinde illius labente anno ætatis eius ſignant triceſimo. Quæ etſi forte textus ſinit Euangeliſtæ; tamen abiudicat hiſtoria, & res abnuit. Illi proinde ad veritatis rhombum collimaſſe videntur, quibus τὸ ἀρχόμενος ὢν, interpoſita diaſtola ſeu commate legi placet, nec ad tricenariam Chriſti referri ætatem, ſed ad eiuſdem prædicationẽ & manifeſtationem: vt hæc ſit germana loci ſententia. Et IESVS quando ad baptiſmum acceſſit, ſeque hominibus manifeſtare cæpit ac facem præferre Euangelicam, erat annorum circiter vitæ triginta. Quam imitatus phraſim, Apoſtolorum Coryphæus dixit.
Actor.1.v.21. *Oportet ex viris qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus IESVS, incipiens a baptiſmo Jo-*
Act.10.v.37. *annis, vſq; ad diem quo aſſumptus eſt à nobis, &c.* Et rurſus eodem vtens alibi vocabulo, quia & vbique eodem afflatus ſpiritu. *Incipiens enim inquit à Galilæa poſt baptiſmum quod prædicauit Ioannes, IESVS à Nazareth.* Quid? Iudæi ipſi dum coram Pilato Præſide ſalutis noſtræ vindicem depoſcebant ad necem, exacuentes linguas ſuas ſicut ſerpentes, anne eandem adhibuêre loquendi for-
Luca 23.v.5. mulam? *Commouit populum docens per vniuerſam Iudæam, incipiens à Galilæa vſque huc.* His conſectarium, infirmam eam eſſe retrogradationem, qua ex ætate Chriſti in die luſtrico, certus ſtabiliri poſſe putatur annus Chriſti Natali; cum iuſtius ex illo eius natali, definita certaque eius ſtabilienda ſit ætas in Baptiſmo. Quippe qui nihilo plus ex ſola illa poſſumus eruere ſcriptura; quam Chriſtum circiter annum vitæ ſuæ triceſimum fuiſſe baptizatum. At enim ætas circiter tricenaria, cis & vltra, latè ſe fundit, nec limitem certum habet.

ANNOTATIO XVIII.

Et iam olim ab antiquo & hodie exercet locus hic ſancti Lucæ, Theologorum & Chronographorum ingenia; dum ad ſuum ea trahere calculum pro ſe quiſque viri ſumma nituntur opum vi. Etſi verò illa plurifariam exponant; in hoc tamen conſtans eſt omnium conſenſio, vt voculam incipiens *vel ad ætatem Chriſti atq; ad annos referant triginta, quod minimè ſequor: vel ſanè ad prædicationem eiuſdem ac manifeſtationem. Hi mihi propioribus lineis mentem videntur*

teti-

Digitized by Google

tetigiſſe Euangeliſta. Cauſas opinationis meæ multas habeo & graues; ſed quæ breui nequeant ſcholio arctari. Auctores do; in quibus præeminet qui annalium nebulas claro ingenij ſui ſole colluſtrauit D. Cæſar Baronius tomo 1. ad annum Chriſti XXXI. & in apparatu numero 107. qui & Origenem, S. Chryſoſtomum & Bedam aliosque eadem vſos interpunctione rectè obſeruauit. His accenſere poſſumus Iuſtinum martyrem in Dialogo cum Tryphone, Clementem Alexandrinum lib. 1. ſtromatum, Tertullianum lib. contra Iudæos cap. 8. S. Epiphan. hæreſi 51. B. Auguſtinum lib. 2. doctrinæ Chriſt. cap. 28. & Auctorem Euangelij Iudæorum quod titulo Matthæi prænotatur apud Epiphanium hæreſi 30. qui in illo ſcriptum fuiſſe ait Chriſtum tunc quando cæpit prædicare annorum fuiſſe circiter triginta. Quæ eadem habent Ordo Romanus, & Euangelium Syriacum. Nec dubium ab his facere Euthymium aliosque qui apice tantum vno euariato nihilque de ſenſu immutato, pro ἀρχόμενος *legunt* ἐρχόμενος: *hoc eſt incedens, ſeu veniens vel aggrediens. Quâ nomenclatura is qui venturus erat, Meſſias deſignatur & quem verbo abbreuiato deſcribit Abacuc cap. 2. v. 5.* Veniens veniet. *Quo in loco vti & crebrò alibi vox illa* ἐρχόμενος *reperitur. Probant eandem interpretationem Franciſcus Toletus Annotat. 2. in 3. cap. Lucæ, ibidem Albertus Magnus, & Arias Montanus, Alfonſus Salmeron tomo 1. proleg. 38. concluſ. 8. & tomo 4. Tractatu 7. Cedrenus denique & quotquot Chriſtum in baptiſmo trigeſimum primum ſaltem contigiſſe contendunt annum, re ipſa pedibus in expoſitionem hanc eunt. 2. Nec illud in præteritis relinquendum particulas illas* fere, circiter, quaſi *vel vt in græco eſt* ὡσεὶ, *apud bonos latinitatis, eruditæque diligentiæ auctores tantidem æſtimari, quanti paulo plus vel paulo minus: nec denotare aliquid deeſſe ſemper illi numero vel perfectioni cui præfiguntur: de quo obuia ſunt exempla & paſſim nota. Iam verò quàm latè ramos porrigat illud* circiter triginta, *inde liquet: quod de S. Auguſtino veraciter hactenus legit Eccleſia, baptizatum fuiſſe illum anno ætatis circiter triceſimo: cum cæteroqui de ſe ipſe 9. lib. Confeſſion. cap. 11. ſcribat id eueniſſe anno vitæ ſuæ XXXIII. Quo & factum ſignauit Breuiarium Romanum diligentia Sanctiſſ. Papæ Dom. N. Clementis VIII. nuper recognitum. Non iſta eò dico, quod illud* quaſi triginta an-

norum *velut laxatis habenis ad XXXIII. vel XXXIIII. annis Chriſti annum cenſeam poſſe procurrere. Nam vt hoc vocum ſineret ſignificatio, veritas haud ſinit hiſtoria. Quare ſic ſtatuo non poſſe ex illo Lucæ teſtimonio ſolitarie accepto efficaciter elici, quo fuerit natus anno Seruator, quantaue præcisè fuerit illius ætas in Baptiſmo. Quæ res euadet illuſtrior quando conſtanti patrum oſtendemus aſſenſu, mortuum in cruce Dominum anno XXXI. vulgaris Æræ a Partu virginis. Cum quo anno, reliquorum* iuncturæ *coaleſcunt* ſicut monilia, quæ fabricata ſunt manu artificis. *Cantic. 7. v. 1.*

AD NOBILEM THESIVM
PROPVGNATOREM.

LAborant homines in diſcendo, & breuia non valent intelligere, prolixa non amant legere. Laborant itidem in docendo, qui & pauca tardis & multa pigris fruſtra ingerunt.

S. Auguſtinus, Epiſt. 101. ad Euodium.

AD EVNDEM.

SIngula cur opus eſt tractare volumina PATRVM
Quando multa breuis continet iſte Liber.
Scilicet anguſta hunc anguſtis charta coarctat
Finibus, vt quiuis tam breue voluat opus.

Ioannes Erdeodi, Comes Perpetuus
Montis Claudij, Conuictor.

AD EVNDEM.

AVri forma magis gemmâ decorata niteſcit.
Aureus es? Gemmas hoc tibi ſculpe Libro.

Joannes Philippus Breiner,
Liber Baro, Conuictor.

ILLV-

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO PRÆSVLI
AC REVERENDISSIMO
DOMINO, DOMINO
PETRO TILICCIO, EPISCOPO CVIAVIENSI, ET POMÆRANIÆ, REGNI POLONIÆ VICECANCELLARIO.

LAVRENTIVS SVSLYGA.

Fælix noui anni Auſpicium.

ACCIPE IN TE MEI ET amoris ſignum, & obſeruantiæ pignus atq; officij teſtimonium, Virtutum ac literarum ANTISTES ILLVSTRISSIME, quod licet abſens offert abſenti, offert tamen ille, qui tua innumerabilia in Rem-

pub. merita, velut in ſe vnum collata arbitratur, quique admirandas virtutes tuas, quas orbis terrarum cantat, gratiſsimo proſequitur animo, & velut in præſente præſens contuetur. Enimuerò quod te prope ſeptennio Vicecancellarij onere & honore fungi fuerit neceſſe, virtutem tuam mirè cõmendat, quam in tantam dignitatem extolli decuit, vt non alterius, quàm tuis in hoc munere laboribus Reipub. incolumitas ſeruaretur. Nimirum VIRVM res illa quærebat, cuius humeris haud aliter, atq; Atlanti cuidam ſalus Patriæ tutò incumberet. Quo vel ſolo nomine te & REGI meritò carum, & PATRIÆ iure exoptatum fas eſt arbitrari. Sed ſunt aliæ laudes tuæ quas tua me haud ſinit modeſtia oratorio flore depingere. Quare vt abſtineam te in os laudare breue facio,

quan-

quantus, quantus tuæ vitæ curſus, totus in virtute ac ſapientia fuit; vt ancipitis ſit iudicij plus ne REGI ob delatam tibi olim, vel tibi ob ſuſceptam, hactenuſque benè geſtam illius prouinciam omnes debeant boni gratulari. Illud ſanè non paucos habet diuinę laudationis gradus, quòd Deus ijs te ſemper Eccleſijs propoſuit Antiſtitem, quas & ab hæreſi vindicari, & in priſtinum Religionis ſplendorem, dignitatiſque ſedem euehi oportebat; vt in te Magni illius Neocęſarienſis GREGORII renouaretur exemplum; & quam fide Chriſti ac virtutibus pauperem ſuſceperas gubernãdam, eandem poſteris Eccleſiam in Chriſto diuitem relinqueres. Egeras Præſulem CVLMENSEM. Deus bone: quanto animarum lucro; quanta Chriſti gloria? *Conterebas molas iniqui & de dentibus illius*

auferebas prædam. Sed & ad moderandum poſtea VARMIENSEM, cùm alijs ornamentis, tum vel maximè Cardinalium adminiſtratione illuſtrem Epiſcopatum euocatus, quid non in Pruſsia ad perpurgandos in Catholicis mores, ad propagandam in Hæreticis Fidem tentaſti? Ecquid non perfeciſti? Iam vero CVIAVIÆ ac POMÆRANIÆ Præſulem gerens illud dignum te, dignum omnium memoria ſæculorũ facinus deſignaſti, quod & templa Catholicis, & Catholicos ſuis quaſi poſtliminio templis reſtitueris; Hæreticorum porrò audaciam vſque eò repreſſeris & fregeris, vt iuxta Prophetale vaticinium *poſueris Circulum in naribus eorum, & frenum in labijs ipſorum*. Qui itaque tanta pro DEO, pro REGE & pro REPVB: tamque præclaro fælicique euentu ſuſtinuiſti munera, feras

(ama-

Digitized by Google

(amabo) de te ipſe præſagium. Non eſtquidem ſuæ quiſquam fortunæ faber, vt dicebat Appius; eſt tamen interdum Augur & ſuæ,& alienæ. Inclinat autem animus, vt exiſtimem mærorem nuper de KARNKOVII Patroni mei, & iam de TARNAVII, Præſulum, funere ab omnibus conceptum, per te confeſtim in gaudium verſum iri, atq; in triumphũ. Ego verò vt meæ in te beneuolentiæ perpetuum extet monumentum Chriſtum IESVM tibi Xenij loco offero, in dimidio annorum atque in ætate perfecta,eodemque die denatum in patibulo, quo & olim ipſe erat natus in virginis vtero, & primus Adam præuaricatus in ligno: quodque videri queat καὶ ἄλογον καὶ ἀδύνατον eodem die renatum in monumento, quo in virgineo fuerat conceptus thalamo. Vale ANTISTES ampliſsi-

pliſsime, & quam à te rem iuſtam oratum volo, haſce Theſes quas ſub tuo tanquam ſub Aiacis Clypeo ſuſcepi propugnandas, quaſi vades, & fideiuſſores, ac veluti ineundæ clientelæ principia æqui & boni accipito. Græcij, ex Vniuerſitate Archiducali Kalend. Ianuarij, Anno Domini M. DC. V.

S. Auguſt. Epiſt. 125. ad Cornelium.

Quid melius & animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quàm Deo Gratias? Hoc nec dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuoſius poteſt.

TER-

Digitized by Google

TERTIA PARS.

IESVS CRVCIFIXVS, MVNDI SALVS, INSTAVRANS PER CRVCEM OMNIA, QVÆ IN CÆLIS ET QVÆ IN TERRA SVNT.

I.

QVanquam ſummus ille rerum Dominator ac totius Architectus naturæ & gratiæ, latenter ſeſe ac ſine arbitris in vterum infuderit virginis, *dum medium ſilentium tenebant omnia & nox in ſuo curſu medium iter habebat, de regalibus ſedibus veniens* & humanos in artus ſilenter confluens, & iuxta prophetale vaticinium *tanquam pluuia in vellus* citra ſtrepitum & externam Regum pompam atque apparatum deſcenderit; attamen non ſine teſtimonio reliquit tempus ſui in carne aduentus, ſed qui *in ſole poſuit Tabernaculum ſuum*, ſolis quoque radio ac nouæ ſtellæ indicio annum, menſemque & diem tam ortus quam mortis ſuæ voluit eſſe conteſtatum. Et Symbola quidem anni eius natalitij, cæterorumque quos in carne exegit mortali, annorum notas, ſuis veluti coloribus continenter expinximus. Nunc annum Domini acceptabilem, quo vnigenitus Dei filius ſacerdos & hoſtia Patri ſe immolauit æterno, ſuis quoque ſignatum reddamus characteriſmis: tanto magis irrefutabilibus, cedroque & ære perenniorib⁹, quanto iuſtius huic anno illud Canticorum quadrat elogium. *Ego murus & vbera mea turris.* Hoc enim aperto aperiuntur cæteri & hoc clauſo, clauduntur vniuerſi. *Dominus Deus eius cum eo eſt, & clangor victoriæ Regis in illo. De ſummis ſilicibus videbo eum, & de collibus conſiderabo eum. Paſſus autem eſt Dominus ab XI. Cal. April.*

Sapientiæ 18.
Pſalm. 71.
Pſalmo 18.
Cantic. 6.
Num. 23. v. 22
Ibidem v. 9.

Synodus Palaſtina nomine Apoſtolicæ ſedis.

Quâ nocte à Iudæis traditus eſt & ad VIII. Cal. reſurrexit. Quæ cum Apoſtolicæ ſedis ſit declaratio, cui nunquam bene alicui ceſſit fuiſſe obluctatum, caneſcet ſæclis innumerabilibus.

ANNOTATIO XIX.

Concilij Palaſtini verba quia fideliſſima ſunt & vera, & vt à nobis recitata, in ſua integritate conſeruanda, ſcias lector, mendosè legi apud Bedam in Opuſculo de Æquinoctio Verno ad VII. Kalend. reſurrexit. *Quam lectionem tametſi ſuis quoque inſeruerint lucubrationibus, viri Theologicæ eruditionis & antiquitatis conſulti, attamen in eam occultè ſurreptum mendum, Beda non vno in loco conteſtatur. Quem conſule de ratione temporum capite 45. 59. & 65. Facit ab eo contextus. Siquidem Synodus triduum fluxiſſe ait à dominica cœna poſt quam traditus eſt a Iudæis XI. Kalend. April. vſq; dum reſurrexit VIII. Kalend. April. Veram hanc peruidit lectionem Marcellus Francolin. de horis Canonicis cap. 74. qui in eadem cauſa teſtes aduocat Bedam, Lyranum, Rogerum Bacconem, & Gerlandum de Lotharingia. Hocque adeo verum cenſet Franciſcus Suarius tomo 2. diſputat. 40. ſectione 5. vt locum non relinquat dubitandi. Sanè quidem concinnior nulla afferri ratio poteſt; cur à Paſchali termino dies ille XXII. Martij non excludatur; quare item ad XX. & XXI. Martij diem reducta ſit noſtro hoc ano æquinoctij vernalis ſedes: quam quia XXII. die Martij Seruator noſter cum diſcipulis ſuis fecit paſcha & proponens menſam, ac miſcens vinum, inuitauit illos ad Craterem, & ad* frumentum electorum, *atque ad* vinum germinans virgines. *Die autem poſt, XXIII. Martij profectus eſt* ad montem myrrhæ & ad collem thuris. *Ibi aſcendens in palmam & apprehendens fructus eius, extendit* manus ſuas tornatiles aureas plenas hiacynthis, *quos clauis amoris confixit cruci. Cæſarienſis porro Concilij de die dominicæ mortis declaratio, notitiam videtur effugiſſe Abulenſis 2. parte defenſorij cap. 77. 78. & 80. Negat etenim non rectè, vllam vſpiam de die paſſionis Chriſti extare definitionem. Sed illa omnino vera prudenſque eſt eius confeſſio: quâ Eccleſiam ait in tali ſicubi eſſet declaratione errore labi non poſſe: talemque definitionem pro aris & focis atq; vſq; ad ſanguinem ab omnibus catholicis fore propugnandam.*

[Pr]ou. c. 9. v. 1.
[Z]ach. 9. v. 17.
Cantic. 4. v. 6.
Cantic. 7. v. 7.

Hoc

Digitized by Google

II.

Hoc primum & maximum æſtimationis noſtræ eſt argumentum quod Apoſtolicæ Petræ ſoliditas conſtruendæ noſtræ Tabulæ ceu firmamentum ſubſternit. Secundum vero ſimile eſt huic; quippe quod in veneranda Eccleſiæ traditione, eâdemque veriſſimâ ac vetuſtiſſima ſtirpes agit. Qui igitur in Vicario ſuo loquentem Chriſtum ac per legitimam ſynodum in ſuo nomine congregatam, ſententiam pronunciantem audiuimus, eundem in ſcripturis populorum & Principum illorum qui fuêre in Eccleſia narrantem traditiones auſcultemus. Apollonius perantiquus ſcriptor Eccleſiaſticus apud Euſebium Thraſeæ cuinſdam Martyris commeminit qui quaſi ex Traditione priorum ſe accepiſſe aſſeruit, Seruatorem ſuis præcepiſſe Apoſtolis, vt ne ante duodecimum annum ab Hieroſolymis diſcederent: diſpergendi, exaudio, in nationes ad prædicandum gentibus Euangelium. Quare cum diuiſio Apoſtolorum ex communi ſuffragio ſcriptorum, ſecundo Claudij Imperatoris contigerit anno, & quidem die XV. Iulij vt exſignatum habent Bedæ, Vſuardi, Petri Caniſij, atque aliorum Martyrologia, conſequens neceſſariò eſt, vt Mors & Anaſtaſis Chriſti Redemptoris in LXXVI. inciderit annum Iulianum, ſeu XXXI. Dionyſianum Tiberio V. & Ælio Seiano Coſſ. Quod ſicuti optica Tabulæ noſtræ Inſpectio cum noſtro monſtrat cohærere calculo, ita pariter pugnare docet cum alieno.

Euſebius lib. 5. hiſtor. cap. 18.

ANNOTATIO XX.

Sententia illi de diuiſione Apoſtolorum anno poſt Chriſtum paſſum duodecimo, albam itidem dedêre fabam Beda tomo 5. ſuper 13. caput Actuum Apoſtolorum, Vincentius Bellouacenſis in ſpeculo hiſtoriali lib. 8. cap 9. & Auctor ſupputationis chronologicæ apud Marianum Scotum. Quibus accenſere libet Genebrardum libro 3. Chronographiæ, & Alfonſum Salmeronem Tomo 12. Tractatu 37. & 60. qui dedicatorem huius traditionis facit Thraſeam Martyrem, nec non Martyrologium Romanum & Gelaſium Papam. Illius pariter meminêre Guilielmus Durand. lib. 7. diuinorum officiorum cap. 15. & Nauclerus tomo 2. generatione prima.

Digitized by Google

DISPVTATIO III.

Iob 12. v. 12. *Deut. 32. v. 7.* Et quoniam in antiquis eſt ſapientia & in multo tempore prudentia, noſque γνωμικὸν illud ſpectat præceptum; *Memento dierum antiquorum cogita generationes ſingulas; Interroga patrem tuum & annunciabit tibi, maiores tuos & dicent tibi*: agedum interrogemus diligenter antiquos & inueſtigemus Patrum memoriam. Vere hoc illi ac ſcite de Iacobo fratre Domini tradidêre poſteris quod & memoria præterita, & ætas ſemper conſequens, vetuſque ac nouum Romanæ Eccleſiæ Breuiarium nuper à Sanctiſſimo Papa Clemente VIII. recognitum comprobauit: Septimo illum Neronis anno Martyrium conſummauiſſe; poſteaquam à morte Domini in Epiſcopali ſuo munere, triginta annorum numerum perfectè compleſſet, Eccleſiæ præpoſitus Hieroſolymitanæ. Qui annus mortis Iacobi quaſi Sacroſanctum pignus, piumque depoſitum Eccleſiaſticis commiſſus Tabulis dum nos intra lineas cogit, diem dicit falſitati, nec latebræ ſinit locum aut effugio. Nam quo pacto in ſtatione Nauim rudentes fixam, immotamque aſſeruant; vel quo modo ædificij coſtas atque omnem intexta ferramenta continent compagem; haud aliter annus hic necis Iacobi vniuerſam Saluatoris Chronographiam ſuſtentat ac dirigit. Idemque eſto Iudicium de anno CXII. Iuliano quo Capitone & Rufo Coſſ. Apoſtolorum principes palma inſigniti ſunt Martyrij anno ſeptimo ſupra triceſimum à Dominica Paſſione, à conuerſione vero S. Pauli (quam Tabulæ itidem ſignant & Regiſtra Eccleſiarum anno ſecundo à Chriſti morte) quinto ſuper & triceſimo.

Per Crucem alter, alter enſe triumphans.

Quare certa hac notitia veritatis pateſcente, ſtrata eſt via & ſtructus gradus per ſcalam Conſulum (quâ nulla eſt via rarioribus impedita ſalebris aut minoribus interrupta voraginibus) de Petra Petro, ad Petram Chriſtum recta perueniendi; atque exemplo Patriarchæ Iacob, Dominum contemplandi ſublimi ferientem vertice ſidera, ſcalæ crucis innixum, angeloſque Dei per eam vltro citroque aſcendentes & deſcendentes, immotiſque obtutibus Regem gloriæ incumbentem ſcalæ ſpeculantes.

ANNOTATIO XXI.

Ternas hæc vna aſſertio præfert faces; quarum vel ſingula inter denſiſ-

ſimas

Digitized by Google

ſimas opinionum tenebras, ſplendidiſſimum Redemptionis [illegible]æ annum, lucis ſuæ radio demonſtrant. Prima eſt, Mors Iacobi fratris Domini in paſchate anno ſeptimo Neronis, poſt triginta annos a Cruce excurſos Seruatoris. Cui rei fidem faciunt S. Hieronymus de viris illuſtribus in Iacobo minore, Euſebius & Freculphus in Chronico, Nicephorus Cal. lib. 2. hiſtor. cap. 38. S. Antoninus 1. parte hiſtor. titulo 6. cap. 8. §. 1. Petrus de Natalibus libro 4. cap. 108. Hermannus Contractus, Conradus, Faſciculus temporum, Alexander Sculteius, Ioannes Lucidus, & Genebrardus in ſuis Chronicis, ibidem Bergomenſis auctor ſupplementi, Ludolphus de vita Chriſti, Platina de vitis Pontificum, Adrichomius & Onufrius, nec non Alfonſus Ciaconius in libro de Romanis Pontificibus, Auctor item computationis Chronologicæ quæ extat tomo primo Bibliothecæ Piſtorij. Petrus Galarza libro 7. Euangelicarum inſtitution. cap. 9. Iacobus de Voragine in ſermone de S. Iacobo minore, & quæ mihi inſtar ſunt omnium atque vt Homerus cecinit πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων Breuiarij Romani Regiſtra, & Bedæ, & Notkeri, & Petri Caniſi Martyrologia. Quamobrem niſi moueamus lineam, aberrare vtique ab anno dominicæ paſſionis iſta haud ſinunt. Iliad. λ.

2. Duæ aliæ hic emicant faces, quas nobis duo filij olei & duo candelabra in conſpectu Domini terræ ſtantes allucent Petrus & Paulus: quos martyrij illuſtratos gloria anno CXII. Iuliano Capitone & Rufo Coſſ. extra aleam eſt. Atqui eundem hunc annum fuiſſe à morte Redemptoris XXXVII. res eſt vna omnium notiſſima & cum veterum, tum recentiorum monumentis hiſtoricorum teſtatiſſima. D. Hieronymi in libro præcitato, Cæſarienſis Euſebij in Chronico, Bedæ, Rabbani & Notkeri in ſuis Martyrologijs, Damaſi, vel ſi quis alius auctor libri cui Pontificalis inſcriptio, S. Thomæ ad caput 21. Ioannis, lectione 4. Nicephori lib. 2. hiſtor. cap. 36. Ludolphi ſupra, Methodij apud Marianum Scotum. Rhegini Prumienſis Abbatis, Faſciculi temporum, Freculphi & Alexandri Sculteti in Chronico, Sabellici libro 2. Ennead. 7. Genebrardi libro 2. Chronol. Martini Poloni libro 4. Ioannis Lucidi libro 8. cap. de Romanis Pontificibus, Alfonſi Ciaconij, & Platinæ eodem titulo, Eraſmi Roterodami in Peregrinatione Apoſtolorum Petri & Pauli, Naucleri tomo 2. generat. 2. Benedicti Pererij libro 11. in Danielem quæſt. 7.

 Alfon-

Digitized by Google

Alſ[illegible] Heronis tomo 12. tractatu 60. & alibi non ſemel. Alios taceo [illegible] numeros. Maximum verò pondus ac robur ſuo addidit ſuffragio auctoritati Hieronymi nobiliſſimus ſcriptor annalium quorum doctrina fulget Eccleſia vt Sole Luna. *Ad annum namque Chriſti XXXIIII. num. 149.* Sancti Hieronymi aſſertionem reſpondere ait Romanæ Eccleſiæ Chronographiæ illi, haud dubium traditæ ab Apoſtolorum Principibus qui eandem ſuo ſanguine conſecrârunt. *Hos XXXVII. annos Petri ſic ex temporum ratione, cupide lector diſpeſces: vt ſedi Romanæ 25. diſpertias, ſeptenos Antiochiæ, quinos reliquos Iudææ, & vagis ſedibus.*

Act. 13. v. 16. 3. *Apoſtolus item Paulus & hic rurſus manu ſilentium indicens, omnibus Apoſtolicæ Traditionis calculum repudiantibus ora obturat. Is namque glorioſa pro Chriſto morte occubuit poſteaquam quinque ſuper & triginta annis Chriſto ſeruiiſſet, ex quo ſecundò poſt necem Domini & Stephani cædem anno, miraculosè Chriſtiana fuerat ſacra complexus. Quinos illos & tricenos annos non tam agnoſcit quam pennis eloquentiæ in cælum extollit S. Ioannes Chryſoſtom. in homilia de Principibus Apoſtolorum. Ait ecce*

** Aliàs πά[illegible]*

τριάκοντα πέντε ἐδούλευσε τῷ κυρίῳ μετὰ πνεύματος * προθυμίας *Verbum verbo.* Triginta quinque (*ſubaudio annis*) ſeruiuit Domino cum promptitudine ſpiritus *Quem Chryſoſtomi computum amplexi ſunt, & iure, Simeon Metaphraſtes in homilia de iiſdem, Glycas tertia parte Annalium, Eraſmus Roterodamus loco dicto, & Herbipolenſes Academici apud illuſtriſſimum Cardinalem Baronium tomo 1. ad annum Chriſti XXXVI. num. 2. Sanè ſententiam hanc Nicolaus noſter Serrarius vti pereleganti eſt ingenio, ita & elegantiſſimis theſibus ibidem in lucem editis propugnauit, doctiſſimiſque ſcholijs illuſtrauit ac propagauit. Conuerſum porro fuiſſe Paulum anno ſecundo ab aſcenſione Domini, Eccleſiaſticæ Martyrologij Romani Tabulæ & Vſuardi perſpicuum reddunt. Cui rei quadrat ad obulum Hieronymi Chronologia, Oecumenius item in vltimum caput Actuum Apoſtolorum, Genebrard. libro 3. Chronographiæ, Alfonſus Ciaconius, Methodius, & Marianus Scotus locis ante indicatis. Quibus iuxta illuſtris ſcriptor Annalium loco ante dicto verbis hiſce patrocinatur:* Concedendum Eccleſiaſticæ antiquitati, veterique aſſentiendum Traditioni publi-

publicis Tabulis conſignatæ annis ſingulis in Eccl[illegible] ſingulis publico præconio indici ſolitæ: *nimirum conuerſionem [illegible] anno eueniſſe ſecundo ab aſcenſione Chriſti. Ita ille ab eis iure deſciſcens, qui ſeptenos non plus menſes interfluxiſſe contendunt. Quos Apoſtolus ipſe voce ac manu, in rectam reducit ſemitam: dum capite 2. ad Galatas ſe poſt triennium a conuerſione ſua Hieroſolymam aſcendiſſe edifferit, atque inde iterum poſt annos quatuordecim cum Barnaba eodem ad concilium Apoſtolorum reuertiſſe: de quo vide Act. 15. c. Dictum porro Concilium anno à conuerſione Pauli 17. coactum fuiſſe S. Hieronymus perfectus mea ſententia Chronologus ad 2. cap. Epiſt. Galat. affirmat. A quo faciunt S. Anſelm. in 2. c. ad Gal. Franciſcus Turrianus libro 2. pro Epiſtolis Pontificum cap. 16. & Alfonſus Salmeron tomo 12. tractatu 35. 43. & 60. nec non tomo 15. diſputatione 22. vbi & Haymonis, & Catharini, & aliorum eruditorum auctoritate ſtabiliri hæc aſſeuerat. Sed nec diffiteri iſta audet hæreticus Chronologus Ioannes Funccius. Etſi autem in leuiculis diſſentiant ſcriptores, in eo tamen miriſſima conſenſio; in annum XLIX. Iulianum, iſthæc incidiſſe: quem annum Apollinaris Laodicenus apud Hieronymum in 9. caput Danielis, ad amuſſim prorſus Dionyſianam, lapidem voluens angularem, appellauit XLIX. Chriſti annum; vulgaris ſcilicet æræ Chriſtianorum, quam ſuis cyclis multo poſt Dionyſius Abbas coniugauit atq; colluſtrauit.*

IIII.

Alia prioribus haud abſimilis collucet nobis facula, & quæ ſideris obtinet inſtar ex complurium Populorum & Eccleſiarum Chriſti antiquiſſima ſplendens conſuetudine. Quippe Dominicæ Paſcha Reſurrectionis, die ſemper 25. Martij, anniuerſario ritu celebrare ſunt ſoliti; in quamcunque demum hebdomadæ caderet feriam, 25. Martij. Nulla verò vel eſſe vel fingi alia origo huiuſce vſus ſeu abuſus poteſt; quam quia triumphali illo quōdam Chriſtus die victor ab inferis reſurrexit. Atqui hoc ipſum eſt, quod auribus noſtris audiuimus & Patres noſtri annunciauerunt nobis, opus quod operatus eſt IESVS Dei ac Virginis filius reparationis antiquæ, redemptionis æternæ, die 23. Martij anno XVII. ſeu XVIII. Tiberiano, LXXVI. Iuliano, ac XXXI. Dionyſiano conſummatum. Quo etiam Lactantij, Hippolyti, Cedreni, Metaphra-

taph[illegible] Anſelmi atq; aliorum compluria concurrunt ſuffragia. V[illegible] [illegible]ue proinde ſcriptum ſit ab Auguſtino: cuius tanquam aur[illegible] gemmam his inſculpo ſententiam. *Qua die conceptus eſt in vtero Virginis, in ipſa reſurrexit ab inferis cum gloria Paſſionis.* Sed ne Paralogiſmo viam ſtruat errori, caue ne vel ad hebdomadæ feriam referas, vel ad quem alium, quam menſis Solaris aut æquinoctij diem. Quodſi de die menſis Lunaris ſermo fit, aureus hic aurei oris tibi tenendus ὁ γνώμων καὶ κανών. *Qua die conceptus eſt, eâdem die & paſſus fuit. Eadem ipſa dies, cœna pura fuit, in qua & Luna quartadecima occurrit:* Vigilia inquam Paſchæ.

D. Auguſtin. ſermone 22. de tempore.

S. Ioan. Chryſoſt. in ſermone de Natiuitate S. Ioannis Baptiſtæ.

ANNOTATIO XXII.

Eccleſias olim omnes Gallicanas ita ſolitas annuo circulo celebrare Paſcha die 25. Martij, quacunque feria, certiſſimus auctor eſt Beda de ratione temporum cap. 44. & 45. Qui & alias Eccleſias tacitis nominibus pro eâdem recenſet conſuetudine cap. 59. Hoc Gallorum inſtitutum complexos quoque fuiſſe, tum Cappadoces, tum pleroſque alios Epiphanius hæreſi 50. teſtatur; ſimulque id factum exponit per cauſam dominicæ Reſurrectionis, quam eo eueniſſe die, nihil penitus ambigebant. Paulus itidem Middelburgenſis clariſſimus Mathematicus 2. parte Paulinæ lib. 5. cap. 1. & 2. Græcos fere percenſet omnes atque inter hos Nicetam, Tuſcos item & in Aſia Montanos hanc celebrandi quotannis Paſcha rato die ac fixo 25. Martij, fuiſſe imitatos. Capite deinde octauo nobiliſſimum memorat Computatorem Gerlandum Lotharingum, qui & mortuum adſeruerit Dei filium die 23. & tertio poſt die rediuiuum 25. Martij. Idem aſſediſſe Maximo Monacho in conceſſo eſt: quippe qui ab anniuerſario die natali Chriſti 25. Decembris, ad diem vſque mortis illius, 89. ſupputat dies. Clarius iſta extulit Hippolytus in Chronico Propter ſalutem inquit noſtram, mortem paſſus 23. Martij fuit cruci affixus, die 24. ſepultus, & 25. reſurrexit. *Ad quod teſtes adducit Metaphraſtem & Nicomedienſem. Quibus addi iuuat Lactantium Firmianum lib. 4. de vera ſapientia cap. 10. Bedam de ratione temporum capite 65. & rurſus in libello de ſex ætatibus Mundi, B. Adonem Vienneſem in Chronico, Cedrenum in Compendio & S. Anſelmum in opuſculo de Imagine Mundi cap. 17. cuius iſta exſcribo*

ſcribo verba planè ex indicio & ſenſu meo. Qui Euangelium diligenter legerit, Dominum non octauo ſed 10. Kalend. April. paſſum videbit. *Sed piaculum foret fragmentum præterire, imo oraculum Cæſarienſis Euſebij; quod ex omnimoda eius hiſtoria, velut ex naufragio Tabulam poſteris tranſmiſit Anaſtaſius Antiochenus in libro variarum quæſtionum, nec non Franciſcus Turrianus in notis ad lib. 5. Conſtitutionum Apoſtolicarum D. Clementis, & Marcellus Francolinus de horis canonicis cap. 62. num. 13. Meminit pariter illius Franciſcus Suarius tomo 2. in 3. par. diſputatione 40. Igitur in illo crucem paſſus ſignatur Dominus die 23. Martij, & ſuſcitatus de monumento die 25. Breuiter hic curſimque moneo incuria librarij mendum in fragmentum ſurrepſiſſe: quod ſenſim ſine ſenſu in alios latè proſerpſit. Mors namque & Anaſtaſis Seruatoris accidiſſe ibidem perhibentur Indictione XV. Sed hic quoq; dimidium exere apicem, & elueris, me Iudice, errorem ſcriptoris. Nam citra vllam dubitationem reſtituendum IV. Ex quo enim baptiſmi aquis tinctus eſt Saluator anno XV. Tiberij vſque dum principatum iuxta ac vitam exuit Cæſar, nullus aliquando occurrit annus XV. Indictionis. At enim LXXVI. annus Iulianus, idemque XXXI. Dionyſianus Indictione notatur IV. Hæc germana anni Teſſera. Auctores do, Tabulas Kalendarij Romani vel puero notas. His nomen adſcribit Cedrenus in compendio, quando & Chriſti baptiſmum rectè prima conſignat Indictione, mortis dein cruciatum, quarta: quâ illam annos creta identidem notat Beda de ratione Cyclorum, & Chronicum Siculum quod ex græco, latinitate mox & luce donabit R. P. Matth. Radderus, Societ. Ieſu Sacerdos.*

2. *Id cura ſit hoc loco attendere, Canonem illum Chryſoſtomi ad diem menſis Lunaris & Paſcha peruigilium attinere; nihilq; ad feriam vel diem menſis ſpectare ſolaris. Quo itidem ſenſu nihil de mendacio aut fuco, ſed pura puta ineſt veritas Cyrilli verbis.* Chriſtus Angelo nunciante fuit conceptus in vtero Mariæ & mortuus in cruce: dum feria ſexta mortuus eſt Adam in Anima per peccatum in Paradyſo, eadem die Chriſtus mortuus eſt in cruce. *Palam ſentit & eâdem ſexta feria & eodem die, 23. Martij intellige, paſſum Chriſtum in ligno, & Adamum diſſidij pomum carpſiſſe de Trunco. Idem vero dies conceptionis Chriſti fuit, qui*

Cyril. Alex. in Epiſt. ad Synodum Carthagin.

M *mortis*

mortis eius: quia vtreque Cœna pura fuit & peruigilium Paſchæ.
Sap.8.v.1. *Quem diem* omnipotens ſermo Domini attingens à fine vſque ad finem fortiter & diſponens omnia ſuauiter *elegit, quo & de*
Sap.18.v.15. *regalibus ſedibus veniens in regalem virginis thalamum deſcenderet, rurſuſque in eadem Paſcha vigilia durus debellator in medium proſiliret exterminij terram, & pendens in cruce ac moriens repleret omnia morte, ſtanſque in terra quâ homo, cælum vertice diuinitatis attingeret. Ad quæ adludens in Epithalamio ſponſa, regem noſtrum pacificum, & verè ſapientiſſimum Salomonem, eodem innuit coronatum die, corona ſpinea à matre ſua vel Nouerca potius Synagoga; quo olim humanam ſibi ille in matre virgine deſponderat naturam.*
Cantic.3.v.11. Egredimini ait & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua, in die deſponſationis illius & in die lætitiæ cordis eius. *Niſi forte magis adlubeſcat, iſta ad diem transferre quo renatus eſt, reſurgens à mortuis gloria & honore coronatus. Quod Cyrillus, idem & Irenæus libro 1. aduerſus hæreſes cap.10. & lib.5. cap.23. & Tabula noſtra docent. Ex quo adeo annotamento verus detegitur ſenſus illorum verſuum, quos in huius diei encomium exaratos non æui longinqua valet mutare vetuſtas*

Extant apud Auctorem hiſtoria ſcholaſt. Bergomenſem in ſupplemento, Alfonſum Salmeronem tomo 1. prolegom. 28. & alios.

Salue feſta dies, quæ vulnera noſtra coërces.
Angelus eſt miſſus, eſt paſſus in cruce Chriſtus.
Eſt Adam factus, eſt eodem tempore lapſus.
Corpora ſanctorum cum Chriſto multa reſurgunt.

Quia palam eſt, nil de hoc monendus, prudens lector; priores verſiculos de die menſis Lunaris, poſtremum de die menſis Solaris oportere intelligi. Quo pariter ſenſu liquet accipiendum de die menſis Lunaris, quod ſcribit Calixtus Papa, vel ſi quis alius auctor libri de miraculis S.Iacobi: decollatum fuiſſe Iacobum fratrem Ioannis ipſo die & hora, quâ fuit Dominus crucifixus, in peruigilio ſubaudi Paſchæ. Exploratum quippe ex correcto nuper Breuiario Romano, Iacobum ex ante Kal. April. occiſum; anteque dies azymorum. Adi caput 12. Actorum. Aleam ſanè hic ludunt gloſſematio non ſano Abulenſis, Platina, Ludolphus, & quorum longum eſſet Catalogum texere, quique D.Chryſoſtomum ſecuti & Auguſtinum dictam propoſitionem ad diem menſis torſere ſolaris. Quibus omnibus Apoſtolicæ ſedis totque & tantorum patrum atque doctorum, ipſiuſque

adeo

adeo Auguſtini obduco auctoritatem. Sapienter proinde Aſtrologi olim & Iudæi cum coram duobus Summis Pontificibus, aoris ſuper hac theſi inſtituta eſſet diſceptatio, Theologis dicam impegêre: pari ſenſu teſtimonium grauiſſimè dicentes fieri non poſſe vt ſecundum Aſtrologiam & ſolennitates Iudæorum mortuus ſit in cruce Saluator die 25. Martij, in die Veneris & Paraſceue Paſchæ. Hæc dicis cauſa Abulenſis 2. parte Defenſorij cap. 19. Ego etſi hic Palæmon non ſedeo, ſobrietatis tamen eſſe cenſeo tot ſanctorum Patrum atque Eccleſiæ procerum ſequi, non proculcare veſtigia.

V.

Succedit his argumentum multo & pulcherrimum, & robuſtiſſimum ex deletis à Tito Cæſare Hieroſolymis anno à morte Domini omnino quadrageſimo. Quod vt verum eſſe exiſtimem non ſola me plurimorum ſcriptorum & vetuſtiſſimorum patrum mouet auctoritas, ſed diuinæ item literæ, & quædam ijs apprimè conformes Rabbinorum Traditiones; quæ etſi nullæ ſunt, quando ſolæ ſunt; non ſunt tamen nullæ, quando non ſunt ſolæ. Atqui Hieroſolymorum expugnationem fugamque Iudæorum contigiſſe anno ſeptuageſimo Dionyſiano, CXV. Iuliano, octauo die Septembris in Sabbatho, quo anno paſcha celebrarant Iudæi ex ante 14. Aprilis, Sol & Luna teſtes in Cælo fideles toti Mundo teſtimonium dicunt. Quare nec alio Domini crucifixio ſignari poteſt anno, quam XXXI. Dionyſiano & LXXVI. Iuliano. Atq; his pulchrè ad miraculum concordant teſtimonia Prophetarum ac veteris inſtrumenti figuræ. Nam ſicuti quadraginta annis proximus fuit DEVS generationi Iudæorum in deſerto; ita quoque quadraginta eis ad reſipiſcendum elargitus eſt annos; poſteaquam tam indignis modis Dei filium necauerant. Et quemadmodum poſt quadraginta egreſſionis ab Ægypto, & mactati Paſchalis agni annos in terram fuerant introducti promiſſionis; ita pariter poſt quadraginta annos ab immolato in Cruce vero Agno, qui tollit peccatum Mundi, ab eadem repromiſſionis terra iure demeritorum fuêre exterminati. Quam diuinorum excelſitatem iudiciorum conſiderans cogor in Auguſtini verba, laxare vocem. *Quis hanc lætitiam diuinorum Sacramentorum, cum ſacra doctrina luce clareſcunt, non præferat vniuerſi Mundi huius imperijs, etiam inuſitata felicitate pacatis.*

S. Auguſtinus Epiſt. 119. ad Ianuar. ca. 16.

ANNOTATIO XXIII.

Cuſtodiam huius Epochæ de Hieroſolyma à Tito deletæ anno præciſe à paſſione Chriſti quadrageſimo, accepto referimus Euſebio libro 3. hiſtoriæ cap.8. & lib.6. de demonſtrat. Euangel. cap.16. Ruperto lib. 1. in Danielem cap.15. Alexandro Monacho in oratione de Inuentione S.Crucis, quam latinitate donauit, doctiſſimiſque illuſtrauit notis noſter Iacobus GretZerus, Otthoni Friſingenſi lib. 3. cap.19. Cedreno in compendio, Mariano Scoto in Chronico; cuius rei vt fidem faciat, Bedam laudat ſuffragatorem; ſed locum non indicat. Habet hoc verò Beda præfatione Commentariorum in acta Apoſtolorum. His accedunt S Antoninus 1. parte hiſtoriæ titulo 4. cap 1. & titulo 7. cap.1. §.1. Vincentius lib.9. hiſtor. cap.3. Abulenſis quæſtione 57. in 24. cap. Matthæi, Ludouicus Viues libro 3. de veritate fidei, Franciſcus noſter Ribera in caput 11. Zachariæ, num. 4. Hermannus Contractus in Chronico, Auctor computationis quæ Chronologiæ Marianæ attexi ſolet. Vt interim ſileatur Ioannes Carion cuius Chronologia tametſi aliàs κακοπλαστία laboret, in hoc tamen quo de agitur, problemate cõſentit veritati, ſicuti & Eberus in hiſtoria Iudaica. Nec eſt quod aſſenſionem turbent, Clemens Alexand. Hegeſippus, Hieronym. Chryſoſtomus, & non pauci alij qui XLII. anno exciſam à Tito Hieroſolymam prodidêre. Hanc enim pugnam ſic icto fœdere compones: vt Paſcha illud quo obſidione cincta eſt à Tito Hieroſolyma & paucis exinde menſibus ſolo æquata, putes ſecundum ſupra quadrageſimum, à primo paſchate poſt tinctum aquis Iordanis, Mundi Seruatorem. 2. Hoc præterea XL. annorum inter crucem Chriſti & caſum vrbis ac templi interuallum, ex eo firmiſſime aſtruitur quod S. Hieronymus, Chryſoſtomus, Nicephorus, Glycas, S.Thomas, & alij illi omnes ſuperius recitati, quos iſti in ſua traxêre caſtra, affirmant Apoſtolorum Principes XXXVII. à paſſione Domini anno, & à conuerſione D. Pauli XXXV; Apoſtolatus honorem Martyrij corona decoraſſe. Quarto quippe Septembri poſt, deletæ Hieroſolymæ. Et quoniam vndique veritati affluunt argumenta, quæ teſtimonia necem Iacobi fratris Domini conuincunt eueniſſe anno poſt mortem Chriſti XXX. aduentum verò Pauli Romam anno Neronis ſecundo, à paſſione autem Saluatoris XXV. eadem extorquent omnia exciſam à Tito Hieroſolymam anno à

S.Hierony.in Catalo. ſcript. [illegible]leſ. & communiter cæteri.

no à

no à cruciatu Meſſiæ XL. Eodem aduocare opem poſſumus ex bello Iudæorum, quod & teſte Ioſepho, & S. Epiphanio, & D. Hieronymo, & alijs irrefragabilibus notis, occœpit anno XII. Neroniano, LXV. Dionyſiano, & CX. Iuliano: poſt quæ belli exordia quinq; fuiſſe paſchata vſque ad Iudæorum exterminium, ab eodem Ioſepho, noſtriſque Tabulis lector condiſces. Addam his memorabilem confirmationem: Refert namque Rabbi Dauid, quem Franciſcus Ribera loco prænotato & citat & ſequitur, Portas templi Hieroſolymitani anno ante excidium iſtud Titi quadrageſimo ſuapte ſponte fuiſſe reſeratas. Quod & verum cenſuêre Petrus Galatinus li.4. de arcanis Catholicæ veritatis cap.8. & Nicolaus Lyranus, rerum vterq; Iudaicarum, vtpote hebræi ex hebræis ſcientiſſimi. Quin & Lyranus & Ribera præcantatum id fuiſſe non dubitant à vate illis verbis: Aperi Libane portas tuas, & comedat ignis cedros tuas: Vlula Abies quia cecidit Cedrus. *Adiungit Ribera.* Mihi *ait* vehemens ſuſpicio eſt portas eo die fuiſſe reſeratas ſponte ſua, quo Dominus atque Redemptor noſter expirauit in cruce, & velum templi ſciſſum eſt à ſummo vſque deorſum. Conuenit enim tempus, hoc eſt quadrageſimus annus ante vrbis exitium quo Chriſtus paſſus eſt. *Puto tecũ Ribera; & huic inſuper tuæ, aliam meam ſuſpicionem ſubſcribo; eodem eueniſſe iſta die quo circa Echinadas inſulas, immanes Cacodæmones, tanquam tricipites Cerberi igniuomis penetralibus condemnati, lugubrem ex abyſſo ad illam vocem ediderẽ complorationem,* Magnus pan eſt mortuus. *Nota eſt ex Plutarcho hiſtoria: Ad quam forte an adluſum à vate crucis trophæum & Chriſti Epinicion decantante:* Dedit Abyſſus vocem ſuam; altitudo manus ſuas leuauit. Ante faciem eius ibit mors; Et egredietur diabolus ante pedes eius. *Cuius rei perobſcura ad Tiberium Principem, alioſque cæca gentilitatis nube circundatos, peruenit fama; iuxta alterum illud alterius præſagium.* Perditio & mors dixerunt: Auribus noſtris audiuimus famam eius.

Zacha.11.v.1.

Plutarchus in lib. cur oracula ceſſauerint, & apud Euſebium lib.5. de præparatio. Euang.cap.9.

Abacuc.3.

Iob 28.v.22.

3. *Neque dimoueor coniectura; tametſi non ſum neſcius Ioſephum vernaculum belli Iudaici ſcriptorem, ac teſtem oculatum li.7. de bello cap.12. Cornelium Tacitum lib.5. hiſtoriæ, Hegeſippum libro 5. de excidio Hieroſolymorum cap.44. & rurſum in Anacephaleoſi, & vt ne cæteros numerando perſequar, Euſebium lib.3. hiſtoriæ*

Digitized by Google

cap.8. hanc portarum templi apertionem in Pentecoſte factam, & quidem non multo ante expugnatam à Tito Hieroſolymam concorditer teſtari. Illa enim diuerſa eſt ab altera quam patiente Domino factam alij agnoſcunt: in his Euſebius in Chronico, cui patrocinium ferunt S. Hieronymus Epiſtola 17. quam nomine Paulæ & Euſtochij ſcripſit ad Marcellam, Epiſtola itidem 150. ad Hedibiam quæſt. 8. & rurſus in commentario ſuper Matthæum, & ibidem Chryſoſtomus, Suidas in Ioſepho, Cedrenus in Compendio, Vincentius li. 7. cap. 45. hiſtoria ſcholaſtica, Euangelium Nazaræorum, Sabellicus, Ludolphus, Platina, Iacobus Gretzerus, cæteri: qui etſi non omnes apertas tunc templi fores aſſerant, hoc tamen pari aſtipulatione confirmant; Sacerdotes templi commotiones locorum & quoſdam per id tempus dominicæ mortis ſenſiſſe ſonitus, atque ex adytis ſacrarij, repentinam ſubito erupiſſe vocem tranſmigremus ex his ſedibus. *Quin & Iudæos quoque & Rabbinos aperte & palam id atteſtantes produximus: quos vt mentitos pro Chriſto aſſeramus, nulla ratio probat, nulla ſuadet auctoritas. Tantum de fermento veteri malitiæ & nequitiæ Phariſaicæ, dominicæ paſſionis diem preſsêre ſilentio, ne vt olim Cacum mugitus Bouis, ſic nunc illos Angelorum rugitus & ſtrepitus proderent: quando ſcelerum abacti enormitate & horrore flagitij Iudæorum proritati,*

Diſceſsêre omnes adytis, ariſque relictis
Cæleſtes alites.

Quo autem pacto ſolet interdum furibus aliquid excidere de præda in indicium; ſic & haſce veritatis reliquias Iudæis excidiſſe credo: vti quoque & illas quas ſolus Ioſephus è tenebris eruit, ſed prauo Phariſæorum gloſſematio corrupit; è quibus & formam ac tempus infanticidij, & tempus ac famam ortus Meſſiæ, & aperturam ac prophanationem templi anno Chriſti duodecimo in Paſchate, velut ex tenebris Cerberum in lucem prolicuimus. Huc adluſum indubie à Domino; quando Niniuitas conſurrecturos dixit in iudicio ad condemnandum Iudæos: hocque ideo quod prædicanti Ionæ, Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur, *pœnitentiam egerint; Iudæi verò ſe in malo obfirmârint; tametſi* annum illis pro die *dediſſet, ac totis quadraginta annis fruſtra illos Metanoea expectaſſet. Quò pariter & vaticinium ſpectauit Ezechielis:* Aſſumes iniqui-

Matth. 12.

qui-

quitatem domus Iuda quadraginta diebus. Diem pro anno; diem inquam pro anno dedi tibi. Et ad obſidionem Hieruſalem conuertes faciem tuam, & brachium tuum erit extentum. *Tantum Propheta. Cuius præclara illa Epanalepſis haud eſt otioſa, inopſque myſterij, quod ad amuſſim fuit completum: quando anno & paſchate a Chriſti paſſione quadrageſimo obſeſſa fuit. atque eodem illo retributionis & vltionis anno deleta Hieroſolyma. Quæ & olim in vmbra futuri fuerat euerſa anno prædicationis Hieremiæ quadrageſimo. Qui annorum ſacratus numerus, ſacram anni ſacri dominicæ mortis continet teſſeram.* *Ezechiel 4.*

VI.

Nec minus neruorum habet aut virium, quod ab Ælij Seiani Interitu hic nobis tacitè ſuppeditatur argumentum. Quippe quem & annales Taciti, & Dionis fida teſtatur hiſtoria 15. Kal. Nouemb. Anni LXXVI. Iuliani, qui idem eſt cum XXXI. Dionyſiano pœnas morte luiſſe. Quod argumentum ſi vel ſolum eſſet, voce ac digito annum nobis illum deſignaret in quem vota omnium ſuſpirant Chronologorum, & quo necem perpeſſus eſt Dominus. Ælius ſiquidem Seianus morti atque Anaſtaſi Seruatoris non ſuperuixit modo, ſed etiam Tiberio Cæſari cum magni ſuffragio fauoris referenti ad ſenatum, vt Chriſtus qui iam tum deuicta morte rediuiuus ſurrexerat, ſigniſque & virtutibus nuſquam non per diſcipulos editis magis magiſque inclareſcebat, Deus haberetur, obſtinatiſſimè contradixit, ac conſecrationem Chriſti cum vniuerſo Senatu recuſauit. Sed Dea quam Nemeſim dicunt, dea magna, potenſque, impatienſq; moræ, cito fecit vt in auctores ſceleris, confeſtim flagitij pœna tranſiret. Eo ipſo quippe annò Tiberius V. Conſul complures patritios viros, atque in his Seianum Collegam ſuum res nouas molientem diriter interemit. Sicque iuſto Dei iudicio factum; vt qui ſpreuerant Chriſto Rege ſaluari, Rege Cæſare punirentur. *Tacitus lib. 5. & 6. annalium. Dio li. 58.*

ANNOTATIO XXIV.

Hic in obuio proponitur, quo haud ſcio illuſtrius ne ſit vllum aliud exemplum, quo vera illa demonſtretur eſſe Auguſtini γνώμη. Nunquam Deus omnipotens, rerum cui ſumma poteſtas, cum ſummè *S. Auguſtinus cap. 11. Enchyridij ad Laurent.*

mè bonus ſit, vllo modo ſineret mali eſſe aliquid in operibus ſuis, niſi vſquèadeo eſſet omnipotens & bonus, vt bene faceret etiam de malo. *Ex hoc namque quod Senatus ille quem quia am ex Regibus conſtare dixit, Regem Regum Chriſtum Ieſum repudiauit, & quidem inſtigante Ælio Seiano, hic ad poſteros dimanauit fructus, dirigente ac veluti clauum tenente eo, qui* melius iudicauit de malis benefacere, quam mala nulla permittere: *vt ſicuti* lapis reprobationis factus eſt ædificantibus in caput Anguli: *ita illa eiuſdem per Senatum reprobatio, facta ſit caput argumenti & via expedita ac compendiaria dominicæ paſſionis annum inueſtigandi. Narrationem porro illam de Seiano, ideo quia in petram ſcandali impegit, occiſo; nemo qui modo ſapiat ad ſobrietatem, fabulæ quam hiſtoriæ propiorem dixerit. Quando & grauiſſimos huius edo aſſertores, qui ſciunt DEVM non honorari mendacijs; Paulum Oroſium libro 7. ad S. Auguſtinum cap. 4. B. Adonem Viennenſem Archiepiſcopũ, cuius nomen etiam Menologijs ſanctorum meruit adſcribi, Conradum & Nauclerum in Chronicis. Quibus adſocio Maſſaum Cameracenatem, & noſtrum Alfonſum Salmeronem tomo ſexto, tractatu ſecundo. Iacobus porro Pamelius annotatione 57. ad 4. cap. Apologetici Tertulliani, eam omnium eſſe hiſtoricorum conſtantem ait narrationem. Nec dubitat illam adſcribere quoque Tertulliano: cui conſonant Chryſoſtomus homilia 26. in ſecundam Corinthiacam, Gregorius Turonenſis lib. 1. hiſtor. cap. 24. Niceph. Cal. lib. 2. cap. 8. & 9. Freculphus in Chronico, Petrus Crinitus libro 10. de honeſta diſciplina cap. 5. & libro 13. cap. 3. Otho Friſingenſ. lib. 3. Chronici cap. 12. Martinus Polonus & ex Methodio, Marianus Scotus in Chronico, S. Antoninus parte 1. hiſtoriæ tit. 5. cap. 6. §. 5. & titu. 6 cap. 21. §. 1. Cedrenus, Alexander Monachus, Zonaras, Vincentius, Sabellicus, Adrichomius, Ioannes Auentinus: & μηδεν ἄγαν innumeri alij, qui eiuſdem relationis Pilati ad Senatum meminêre, conſentaneè cum Oroſio, tum cæteris. Tametſi illam Seiani periſtaſin non æque omnes expreßère. Fusè rem geſtam enarrat Euſebius lib. 2. hiſtoriæ cap. 2. In Chronico leuiter tangit: ſed non leuiter exerrat: quando illam extremâ Tiberij conſignat anno. Conuincit porro eximius ſcriptor annalium relationem illam Pilati mox à Chriſti reſurrectione euenisse. Quod & epi-*

Digitized by Google

& epiſtolium adſignificat Pilati ad Claudium Tiberium Cæſarem; cuius eſt hoc apud Hegeſippum, exordium. Nuper accidit: *Recenter hæc ab Anaſtaſi Redemptoris geſta ſubindicans. Et ita capio.*

VII.

Sed inter omnia ſuperiorum temporum clariſſima monumenta, illud omnino ad æternitatem memorabile, & quod nulla vnquam deletura eſt dies, nec obſcuratura obliuio: quod anno XXXI. vulgaris Chriſtianorum Epochæ paſſum fuiſſe Dominum conſtanti aſſenſu vetuſtas grandæua vulgauit: quem inſuper calculum veneranda Patrum probauit auctoritas, & vulgus paſſim ſeruauit Chriſtianorum. Nempe vt triginta ſolidis annis Epocha à morte Saluatoris, contractior eſſet æra à partu Virginis. Id præter vnanimem aſſenſum patrum, quos inferius nominabo, certum exploratumque facit ſcriptor Anonymus, qui anno CCLXXXI. Iuliano, Chriſti CCXXXVI. poſt exactum XIII. principatus annum Alexandri Mammeæ Chronicon concinnauit: ita ſcribens. *A generatione Chriſti vſque ad Paſſionem anni triginta; & à paſſione eius vſque ad hunc annum qui eſt XIII. Alexandri, Anni ducenti & ſex.* Et rurſus. *A Generatione Chriſti poſt trigeſimum annum cum paſſus eſt Dominus, Paſcha celebratur. A paſſione autem Domini vſque in XIII. Imperatoris Alexandri Cæſaris anni ducenti & ſex.* Proba ſupputatio & digna adamante perenni: incluſis extremis. Ea propter auctor ad IIII. vſque CCLIII. Olympiadis ſe fatetur calculos mittere, quando iam inter homines eſſe deſierat Alexander. Ab anno autem primo principatus Alexandri per ſeptem exinde heccedecaëterides ad centenos vſque & duodenos annos S. Hippolytus Portuenſis, Epiſcopus & Martyr canonem porrexit Paſchalem, ſuo quemque annum quadruplici radio irrefutabiliter diſcriminans.

Extat apud Henricum Caniſium tomo 2. Antiquarum lectionum. Anonymus cap. 17. & 18. Cap. 19.

ANNOTATIO XXV.

Vulgarem iſtam fuiſſe Epocham Chriſtianorum S. Epiphanius hæreſi 66. edocet. Ait enim anno quo Conſulatum iniuêre Probus ac Paulinus ſub quibus perfidiæ vexillum ſuſtulit Manichæus (qui fuit Chriſti CCLXXVII.) ſolitos fuiſſe Chriſtianos, ſupputare annos CCLXXVI. (exaudi) completos à Natali Domini, vel

N 246.(vi-

D. Leo ſerm. 2. de Penteco-ſte.

CCXLVI. (videlicet) ab eius paſſione & Reſurrectione. Ex quo librarij tollendus error apud S. Leonem: vbi ab aſcenſione Chriſti ad Cælos, vſque ad Probum Imperatorem & Paulinum Conſules, CCLX. legimus fluxiſſe annos. Sed hic nihil ambige de metatheſi: quam ſic repones. CCXLVI. quot Epiphanius in numerato habuit. Quam verò perperam Onufrius magnus cæteroqui faſtorum Sol, par illud Conſulum è faſtis expunxit, vt in Epocham relaberetur Dionyſianam; tam ſapienter Eccleſiaſticæ ſcriptor hiſtoriæ in priſtinas faſtorum ſedes illud reſtituit. His peræque clara accedant ſuffragia Alexandrini Clementis libro 1. ſtromatum, Origenis tract. 35. in Matthæum, Apollinaris Laodiceni apud S. Hieronym. ad 9. cap. Danielis, Tertulliani cap. 8. aduerſus Iudæos, S. Hieronymi Epiſtola 22. ad S. Euſtochium, D. Auguſtini lib. 18. de Ciuitate cap. vltimo, & apertius in Epiſtola 80. ad Heſychium, Philaſtrij in lib. contra hæreſes cap. de annis Chriſti, & Idacij in collectione chronographica cap. 34: qui omnes Chriſti ætatem tricenario definiunt numero. Quæ doctrina ad noſtris proxima peruenit tempora: quando & illum amplexi ſunt S. Bernardus, vir pietate ac ſapientia par antiquis, in ſermone primo de Circumciſione, & ſermone ſecundo de verbis Apoſtoli: Non eſt regnum Dei eſca & potus, *S. Petrus Chryſologus ſermone ſecundo de Chriſti in Ægyptum fuga, & Haymo ad illud Matthæi 2.* defuncti ſunt. *Sed libet velut vnum adhuc corollæ noſtræ torum addere ex hymno Eccleſiaſtico, in quo hæc ſententia veluti Carbunculus inſertus annulo, ſplendoris ſui radios latè & longè eiaculatur.*

Extat tomo 2. Antiquar. Lection. Henrici Caniſij.

Luſtris ſex qui iam peractis, tempus implens corporis
Se volente natus ad hoc paſſioni deditus
Agnus in Cruce leuatur immolandus ſtipite.

Nec alia magis intima cauſa cur Valentinus hæreſiarcha triginta illa confinxerit ſæcula, quam ob vulgarem non vulgarium patrum ſententiam de morte Chriſti in ætate tricenaria tanquam in pleromate omnium. Adi Irenæum lib. 2. cap. 40. & Epiphan. hæreſi 51. Sed & in noſtrum relabitur calculum Iulius Africanus, quando apud Euſeb. lib. 8. præparat. Euangel. Chriſtum adſerit mortuum anno II. CCII. Olympiadis, nec non ſexageſimo anno poſt extinctos Antonium & Cleopatram anno XVI. Iuliano: quemadmodum

Digitized by Google

*dum ex Africano recitat Hieronymus. Plura conſultò taceo teſtimonia: quia aut hoc ſatis teſtium eſt, aut quid ſatis eſſe queat, me clam eſt. Tantum hic lector ad extantem lapidem adiutorij & ſublimibus altum columnis, quadruplici lucis radio viam habitaculi indicantem, attolle oculos. Quo anno Alexander Mammææ 10. Martij capeſſiuit imperium, Antonino Auguſto IV. & Alex. Cæſ. Coſſ. Canonem ſuum paſchalem conſcripſit S. Hippolytus, & eo anno Lunam XIV. primi menſis in XIII. incidiſſe notat diem Aprilis, & quidem in diem Sabbati. Eundem annum fuiſſe monſtrat ſecundum à biſſexto, & Embolymæum. Fuit vero is annus CCLXVII. Julianus, competens cum I. CCL. Olympiadis anno, quo illum iuxta adſcripſit Euſebij Chronicon: & conſentit Agathias emaculatus. Hic itaque Cyclus Solis VII. Lunæ XIV. Epacta * cum litera Dominicali F. Martyrologij P. tanquam alba Quadriga currum agunt æra Dionyſianæ: annumque exponunt Chriſti CCXXII. Annum exinde XVII. quo M. Vlpius Crinitus, & Proculus Pontianus geſsêre Conſulatum, ſimiliter & Embolymæum deſignat & ſecundum a Biſſexto, & Paſcha dominicæ Reſurrectionis XV. Aprilis. Fuit igitur Cyclus Solis XXIII. Lunæ XI. Indict. I. Epacta XXVII. cum litera Dominicali G. Martyrologij H. idemque CCLXXXIII. Julianus CCLXV. Auguſtaus, primus CCLIV. Olympiad. qui ex parte cum DCCCCXCI. Vrbis concurrit Anno. Quo dictos conſignat Conſules Cenſorinus, qui eo anno aureum illum ſuum ſe edidiſſe fœtum adfirmat. Nec tacet eodem illo numerari captum anno Agonem XXXIX. ſtigmoſum cæde duorum Maximinorum Imperatorum. Quin & eundem appellat annum DCCCCLXXXIV. ſic enim traijcio literam, & tollo mendam DCCCCLXXXVI.* *Adi Annotat. 4. Tabulæ.*

VIII.

Quemadmodum vnicum in Circulo ineſt centrum quò lineæ omnes ex Peripheria rectà coire oportet; ita ſimplex eſt veritas, quâ cum cætera quæ vera ſunt, concinnè cohærere omnia eſt neceſſe. Quiſquis itaque toto animo & cura, verum diſquirit annum redemptionis, id ſibi negotij credat dari: vt ſi qua à Maioribus accepta traditio, velut via ad verum, inquirentem ferat, illi protinus inſiſtat: memor Catholicæ S. Ioannis Chryſoſtomi Regulæ, quam vt in penetrali cordis noſtri collocemus, grauiter admonet *Chryſoſt. hom. 4. in 2. Epiſ. ad Theſſalonicen.*

Cyril. Hieroſo. Catecheſi 8.

Dionyſius in Epiſt. ad Joannem exulantẽ in Pathmos.

monet Cyrillus Hieroſol. *Eſt Traditio: nihil quæras amplius.* Atquin Eccleſiaſtica habet Traditio, Magnum illum Euangelij ſolem (quo Ioannem Euangeliſtam indigitat nomine S. Dionyſius Areopagita) ad Traiani vſque tempora, vitæ Sanctitate in Eccleſia effulſiſſe; atque anno tandem poſt Chriſti paſſionem LXVIII. morte extinctum. Imperium porro capeſſiuit Traianus anno CXLIII. Iuliano. Nerua & Rufo Coſſ. qui annus à LXXVI. Iuliano, quo crucis figimus Trophæum, adductis in calculum extremis præciſè eſt LXVIII. Quapropter annus hic quo Sol Euangelicus occubuit, nihilo ſecius ac ſtella matutina in medio nebulæ ſolis Iuſtitiæ occaſum, velut Indice prodit. Quem & S. Paulus ſecundo Neronis Romam miſſus, vinctus catena, à paſſione autem Domini anno vigeſimo quinto, indiſſolubili nexu cum LXXVI. concatenat anno Iuliano.

Conſule Hieronym. & Auctores allegatos Annotat. 21. §. 2. & 3.

ANNOTATIO XXVI.

Permanſiſſe Joannem vſque ad Traiani tempora; verba ſunt Irenæi vetuſtiſſimi Theologorum lib. 2. aduerſus hæreſes cap. 9. & lib. 3. cap. 3. S. Hieronymi de viris illuſtribus in Joanne, & rurſum lib. 1. aduerſus Jouinianum, S. Epiphanij hæreſi LXVI. & Romani Breuiarij in feſto S. Joannis Euangeliſtæ. Quæ minimè dubitanter ita capio; vt Joannes primum principatus Traiani annum tetigerit tantum, nec ſit prætergreſſus. Mecum faciunt Conradus Abbas, Hermannus Contractus, & Genebrardus in ſuis chronicis, Franciſcus Turrianus lib. 1. pro Canonibus Apoſtol: cap. 11. & Alfonſus Salmeron tomo 1. prolegom. 39. Non me latet Euſebij largitas, qui Joannis vitam ad ſecundum vſque Traiani protraxit annum: hocque non alia ex cauſa, quàm quod illò procurrat ſubducta æra ab anno LXXVII. Juliano, quo ille crucis Chriſti attollit vexillum. At vero ex Beatorum Jrenæi, Hieronymi & Epiphanij verbis nihilo magis elici poteſt, Joannem ſecundum principatus Traiani contigiſſe annum, quam vel ſextum vel octauum. Enimuero Joannẽ deceſſiſſe anno à cruciatu Saluatoris LXVIII. in ambiguo non eſt: quando hæc pariter nota in Eccleſia archijs fideliter deſcripta extat; quemadmodum Romanum declarat Breuiarium, & Beda, & Vſuardi atque aliorum probant Menologia. Quibus velut Triarios claudentes agmen ſubdo S. Epiphanium, Hieronymum, Euſe-

Digitized by Google

Euſebium, Conradum, Hermannum, Genebrardum, Salmeronem, Turrianum, locis ante dictis, ac deniq; D. Bonauenturam cap. 13. de vita Chriſti, & Petrum Garſiam Galarzam lib. 8. Euang. Inſtit. cap. 6.

IX.

Quemadmodum porro ex Cyclo Solis qui moderator quidam & quaſi gubernator eſt, anni iuncta Apoſtolicæ ſedis declaratione, omnique genere teſtium, Chriſti mortem 23. Martij die ſtatuentium, argumentum ducimus ἀνίκητον, non alio quam quo diuiniſſimi Patres eam locârunt, XXXI. ſignandam anno vulgaris Æræ: Ita nunc idem pertentemus conſentaneum cyclo demonſtrare Lunæ: quam *poſuit DEVS in tempora: vt confiteantur* *Pſal. 103. & 88.* *cœli miſericordiam Dei, & veritatem eius in Eccleſia ſanctorum.* Si- *Joannis 19.* quidem paſſus eſt Dominus Luna XIV. in Paraſceue Paſchæ; ad eam veſperam quam reſpexit Moiſes, quando præcepit immolari *S. Irenæus lib.* Agnum veſpere ad Solis occaſum. Multo quippe decentiſſimum *4. cap. 23.* erat, vt eâdem vterque hora, verus & vmbraticus agnus immolaretur. *Quia lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per IESVM* *Joan. 1. v. 17.* *Chriſtum facta eſt.* Annus autem ille Chriſti XXXI. iuxta ineluctabiles Calendarij Gregoriani canones Cyclo honeſtatur, Lunę XIII. Epacta XIX. & litera Martyrologij u. quæ etſi XIII. deſignent, vel XII. eo die fuiſſe Lunam, anomaliam tamen litera concinnat dominicalis & pacem firmat SS. Papa Gregorius XIII. Reformationi quippe Calendarij hoc prouide innexuit annotamentum, in quod ſuffragia pariter concurrunt Mathematicorum; *In nullo penitus lunari Cyclo, omnia nos effugere poſſe incommoda, aut præcauere ne Cyclus Epactarum interdum diſſentiat aliquantillum à nouilunijs cæleſtibus, & ne Luna XIV. Paſchalis, ſecundum Epactas biduo quandoque oppoſitionem mediam præcurrat.* Quod neque pauca & ponderoſa probant exempla, & hic ipſe quo de agimus annus Redemptionis noſtræ, ſine vlla circuitione, ex vero eſſe commonſtrat.

ANNOTATIO XXVII.

Quod Iſraelitici populi Duce Nehemia, dum recidiua Solymorum poneret mœnia, factitaſſe iuuentus Hebræa legitur, vt vnâ manu *2. Eſd. 4. v. 18.* *operi, alterâ profligandis hoſtibus inſiſteret, idem mihi nunc exemplum*

æterno imitandum. Quare debilitanda hic nobis illa incumbit machina, quâ ſententiæ noſtræ arcem demoliri ſe poſſe, quidam Architecto Phlegonte præſidunt. Hic enim vt enotauit Euſebius, & ex eo cæteri quarto anno CCII. Olympiadis Eclipſin illam Solis ſignaſſe fertur, quæ moriente euenit Saluatore. Quo argumento tanquam inſuperabili proſtratus ariete Onufrius Panuinius manus dedit, omniq; vi & ratione contendit Christum anno LXXVIII. Iuliano ſuffixum cruci: quem ille vocat annum vulgaris Chriſti æræ XXXIV. Sulpicio Galba & Cornelio Sulla Coſſ. Et verò, cum cætera miſcet haud rectè, tum iſta quoque adiungit. Phlegontis teſtimonium tanti facio, quanti cuiuſcunque alterius ſcriptoris poſt Euangeliſtas. *Sed ne inuidia ſit verum dicere, ſolennia peccat. Primum quod XXXIV. annum vulgaris Chriſti æræ cum LXXVIII. conſociat anno Iuliano: cum tamen nihilo magis frigida compugnent calidis, & humentia ſiccis. ſecundo ne bis coctam Cramben, & excuſſa ab alijs denuò regeram; abſit procul grauitate ſapientis vſqueeò feruere, ferriq; amore & auctoritate Phlegontis, vt eam, vnanimi ſanctorum Patrum conſenſioni, tot populorum & Eccleſiarum Traditioni, omni generi teſtium, ac ipſi tandem Apoſtolicæ ſedis declarationi conferamus, nedum præferamus. vel vt his ſimul omnibus vim manuſque inferamus, quoniam ſtare ab ijs diuerſa Phlegontis nequit chronologia. Et vt dicam equidem quod ſentio, in ambiguo eſt valde, locutuſne fuerit Phlegon aliquando de illa Eclipſi Solis, quæ moriente Domino facta eſt. Atque vt hoc ſit; Num Euſebius verba illius cum diligentia ac ſine fuco exſcripſerit. Venit enim mihi ſubuereri, ne ſibi ſimilis fuerit Euſebius, atque pari fide, Phlegontis verba, quâ ibidem loci, ſententiam recitauit Ioſephi. Quem teſtari ait* circa tempora Chriſti paſſionis, die Pentecoſtes, ſacerdotes primum commotiones locorum & quoſdam ſonitus ſenſiſſe: deinde ex adyto templi repentinam ſubito erupiſſe vocem dicentium tranſmigremus ex his ſedibus. *Atqui Ioſephus iſta & Tacitus, & Hegeſippus anno fere quadrageſimo poſt Chriſti necem euenisse proteſtantur. Pergit Euſebius per vim, clamantem reluctantemque ad ſe trahere Ioſephum.* Scribit autem memoratus vir, quod eodem anno Pilatus præſes ſecreto noctis imaginem Cæſaris in templo ſtatuerit. Sed repugnantibus Iudæis & nudatas illico ceruices ad recipiendos ictus exhibentibus, Pilatus iuſſit ſtatuas aufer-

Onufrius in Tractatu de anno dominicæ Paſſionis.

Ioſephus lib. 7. de bello cap. 12. Tacitus lib. 5. hiſtoria. Hegeſip. lib. 5. cap. 44. & in Anacepha-

Digitized by Google

auferri. *Tum haud multo poſt, cædem Iacobi, fratris Ioannis deſignatam notat ab Herode annis aliquot antè exceſſum Tiberij; ad quem vſque exceſſum, Seiani protelat vitam. Iſta fide non bona Euſebius, atque à veri regione tam longè aberrans & latè; vt mihi de mea plus nimio deflectendum ſit via, ſi coner illum reducere in ſemitam.* Sanè *quidem Dio Caſſius grauis auctor, cui & aſtipulantur Cornelius Tacitus, & Suetonius, vrbes Aſiæ terræ motu concuſſas enotauit ſub Tiberio. Meminit & illius Plinius, quem &* maximum appellat memoria mortalium, duodecim vrbibus Aſiæ vnâ nocte proſtratis. *Sed quod exemplo Euſebij ad tempora dominicæ paſſionis hæc referre fruſtra conentur Paulus Oroſius, & Genebrardus ab Illuſtriſſimo ſcriptore Annalium iure reuincuntur. Nam tremor iſte terræ LXII. concuſſit annum Julianum, quartum Tiberij. An verò quod ab Oroſio, idem ſit factitatum ab Euſebio, non ſolum in Ioſepho ſed itidem in Phlegonte; nihil in vtramque partem vel dio, vel nego. Intelligit tamen prudens lector quid taceam, & quid magis tacendo loquar. At demus iſta ſcripſiſſe Phlegontem: Qualia illum Dionis terræ motum, ab illo in nece Domini, argumenta diſcriminãt; talia & his plura atq; ponderoſiora iſtum Phlegontis ab illo diſparant Chriſti. Alioqui vt cum Diuo Auguſtino hoc dicam;* Quæ acies vitrea, vel plumbei pugiones *in tot tantorumque conſpectu ſanctorum patrum, vbi primos ordines, Apoſtolici culminis ducit auctoritas,* exeri audebunt, *vt erraſſe illos, & Phlegontem verum putemus peruidiſſe?* Quod inuenerunt in Eccleſia; tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt: quod à Patribus acceperunt, hoc filijs tradiderunt. *Quis ergo ſe perſpectè cognitum habere dicet dominicæ paſſionis diem, menſem vel annum; ſi illum Apoſtolorum temporibus proxima ignorauit ætas? aut quis citra notam temeritatis præſumet hodie definire, in quo mille ante & quadringentos annos lapſam errore, Synodum Apoſtolicæ ſedis nomine congregatam, audeat effutire!*

Dio libro 57. Tacitus lib 2. Annalium. Suetonius in Tiberio ca. 84. Plin lib. 2. natur. hiſt. ca 84. Oroſius lib. 7. cap. 4. Genebrard. lib. 2. Chronol.

Auguſtin. li. 1. contra Iulian. Idem Auguſt. libro 2. contra Iulian.

2. *Sed genus inſuperabile argumenti (inquiet aliquis) ducit calculus Aſtronomicus, qui nulla ratione huic poteſt Patrum calculo aſſidere. Cui ita primum reſpondeo: Propter Mathematicorum calculum, aut* φαινόμενα ὀυρανικά, *velle veritatis anchoram abijcere, atq; ab Apoſtolicæ ſedis declaratione, nobiſque à maioribus tradita doctrina, tantaque nube teſtium corroborata, & quaſi vſucapione vendicata deſciſce-*

Digitized by Google

deſciſcere; haud ſat ſcio, vtrine ſit ſapientis, & prudentis eloquij myſtici. Præſertim cum Cyclo Solis, & Lunæ, & Tabula æquationis Epactarum, ac regulis Calendarij Gregoriani ſententia iſta ſanctorum patrum probè reſpondeat; & palam ſit à Metone, veterum Mathematicorum Tabulas eſſe correctas, Metonis deinde à Calippo, Calippi ab Hipparcho, Hipparchi à Ptolemæo, & Ptolemæi rurſus ab Alfraganio fuiſſe emendatas. Quas ceu malè tornatas denuò ad incudem vocauit Alfonſus Rex Caſtellæ, & has velut mancas & impolitas Copernicus reddidit lima. Iſtas demum Copernici, Tycho Brahe nobilis Mathematicus nuper elimauit. Idemque de cæteris quas nati natorum, & qui naſcentur ab eis efformabunt, ſtatui iudicium poteſt. Vſq; eo verum illud Eccleſiaſtæ 3. v.11. Mundum tradidit diſputationi eorum, vt non inueniat Homo opus quod operatus eſt Deus ab initio vſque ad finem. *Quid autem ab Apoſtolica Cathedra aſſenſu Mathematicos procul diſtraxerit, vt dominicam paſſionem in Menſem traijcerent Aprilem (quo quid aduerſius menti ſanctorum, & vatum oraculis fingi poteſt?) breuiter accipe. Primum Chriſti annum cum Dionyſio in XLVI. contulêre annum Iulianum. Eius deinde baptiſmum triceſimo, vel triceſimo primo coaptarunt Dionyſiano: atque exinde per tria quatuorue paſchata prædicationem Chriſti protendêre. Ex quo illuſtre viſum adeoque neceſſarium, non potuiſſe eius paſſionem XXXIII. vel XXXIV. vulgaris æræ annum præuertere. Indeque tota iſtius varietatis atque erroris, & ſcena, & doctrina fluxit: Effectumque vt nemini eorum venerit in opinionem Redemptorem noſtrum anno XXXI. Dionyſiano paſſum eſſe. Quo pariter illa conteſtatio ſpectat Abulenſis,* Dubitatio *inquit* conſueuit eſſe ſolum de tribus annis: ſcilicet de anno triceſimo ſecundo inchoato, vel triceſimo tertio, vel de triceſimo quarto. Et plures dubitant de triceſimo tertio, & de triceſimo quarto, in quo eorum Chriſtus mortuus ſit, quam de triceſimo ſecundo. De alijs autem annis nemo vſque nunc dubitauit. *Et capite 13.* Non dubitatur inquit communiter, niſi de triceſimo ſecundo, triceſimo tertio, & triceſimo quarto anno. *Abulenſis ſecutus æſtimationem Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus conſtare aſſerit paſſum Dominum anno vel triceſimo tertio, vel triceſimo quarto. Ex quo pariter vult eſſe palam, Chriſtum neque pati, neque reſurgere potuiſſe die 25. Martij. Quod ſe apodicticè demonſtraſſe arbitratur*

Vide Clauium libro 1. contra Mæſtlinum cap. 4.

Abulenſ. 2. parte Defenſorij cap. 11.

Cardi. Bellarminus lib. 3. de cultu ſanctorum cap. 12.

ex li-

ex litera Dominicali duorum iſtorum annorum. Quo datur aperte intelligi verum fuiſſe, quod Paulus Middelburgenſis, Foro ſempron. Epiſcopus atque clariſſimus Mathematicus ſibi per quietem ab Apoſtolo memorat Paulo reuelatum: Chronographos paſſim in annis Chriſti integro exerrare biennio. Suboluit & hic error Bedæ. Ait ecce. Non ignota eſt via quærendi annum dominicæ paſſionis, ſi non computus alicubi errat. Habet enim ni fallor, Eccleſiæ fides Dominum in carne paulo plus quam XXXIII. annos vſq; ad ſuæ tempora paſſionis vixiſſe. *At verò cum ex Apocalypſi illa Pauli Middelburgenſis prona facta eſſet via indagandi verum, & biennio tantum cæterorum opus eſſet præuertere Epocham, toto mortem Chriſti poſtpoſuit quinquennio dum illam XXXVI. Dionyſiano, & LXXXI. ſignauit Iuliano, cum literis dominicalibus A. G. Quo ſuo ille dogmate latè induxit & auxit errorem, non abſtulit. Is quippe annus cum vigeſimo ſecundo & vigeſimo tertio competit Tiberiano.*

Beda de ratione temp. c. 45. & de ratione computi ca. 17.

3. Et ne quis in calculum æra ſubmurmuret Dionyſiana quam ab anno XLVI. Iuliano arceſſimus, poſt extinctum Herodem Aſcalonitam, id maximopere cordi curaque ſit noſſe: inter variantes de temporibus ſententias, eam libenter vſurpare Eccleſiam, quæ magis in ore doctorum hominum agit, crebriuſque ab antiquis patribus eſt frequentata. Cui rei documento eſt epilogiſmus ille annorum Mundi, quo hodieque Romana vtitur Eccleſia: iuxta quem Natale Redemptoris anno ſignatur conditi orbis 5199. A quo eius calculo plerique omnes Chronographi, ſacrarumque literarum interpretes, plus mille hodie annis diſſentiunt. Neque verò vel neſcit Eccleſia hanc annorum ſupputationem vulgo improbari, vel aliam magis accuratam ignorat: Sed cum non aliter atque Aurora conſurgens *quotidiana cum die, lucis ac gratiæ incrementa à Sole percipiat iuſtitiæ, creſcatque in perfectum diem; tamdiu illam retinet quam ex ſeptuaginta duorum interpretum verſione à maioribus traditam ſuſcepit annorum ſupputationem; quoad veritas certius liquidiuſque demonſtretur. Sic innumeris mendis Romanum Breuiarium SS. Pontifex Clemens VIII. haud ita pridem emaculauit. Et quod clarioris eſt ſuffragij, vernale Æquinoctium quod multo retro annorum decurſu ex ſua procul migrauerat ſede, non ſimul atque errorem Eccleſia deprehendit, manum emendationi admouit: ſed tamdiu eſt præſtolata, donec longius in dies error*

Romanum Martyrologium ad diem 25. Decemb.

Cantic. 6. v. 9.

Digitized by Google

ſerperet, omniumq́; oculis ſermonibuſque vſurparetur; ac præſenti demum remedio poſſet vulnus ſanari. In hiſce enim ſpeculationibus quæ neque ad fidei dogmata, neque ad bonos attinent mores, nihil neceſſe habet Eccleſia quidpiam definire: cumque illa receptam maiorum libenter inſiſtat viam, ſinit tamen vnumquemque abundare in ſenſu ſuo. Epheſ.5.v.15. *Quod præmonendum duxi vt iuxta Apoſtolum* cautè ambulemus, nec quaſi inſipientes *& errore ſeducti, vniuerſam autumemur errare Eccleſiam: ſicubi illam forte vel in Martyrologio, vel Breuiario, aut communi Epocha deprehendamus minus certa vti annorum Æra. Cur vero ſancti Patres non plus triginta ſolidis annis aram Natalis Domini ab illa paſſionis diremerint, cauſa neutiquam ſimplex fuit.* Erroremque ſuum quo tueantur habent: *Si tamen hic error dicendus: in quo numerus certus idemq́; in Euangelio expreſſus, pro incerto, valdeque recondito figi potuit. Quare nodum non habet quod Chriſtum baptiſmo luſtratum ponimus completo anno vitæ triceſimo primo, & pauxillum inchoato triceſimo ſecundo, quâ olim ætate ad Reipubl. clauum ſedere cæpit Samuel Propheta. Cui affine alterum; quo mortuum aſtruimus Saluatorem exacto prorſus anno ab incarnatione triceſimo quinto.* Macrob.li.1. in ſomnium Scipionis ca.6. *Ætas enim perfectiſſima quinque omnino annorum hebdomadas complectitur: vti aurea ratione & oratione affirmat atq; confirmat Macrobius. Scite proinde Apoſtolus dum cogitationes noſtras in ſublime attollit, reſurrexiſſe ait Dominum* Epheſ.4 v.13. in ætate perfecta & menſura plenitudinis. Abacuc 3. *Quo reſpectaſſe reor Prophetam quando hac Chriſtum apoſtrophe compellauit.* In medio annorum viuifica opus tuum: In medio annorum notum facies. *Quod remoto dixiſſet ænigmate. Notas facies vias vitæ reſurgens à mortuis, primitiæ reſurgentium, completo examuſſim dimidio annorum vitæ hominis. Quò rectè rurſus a Rege adluſum Ezechia.* Iſaias cap.38. Ego dixi in dimidio annorum meorum; vadam ad portas Inferi. Dies quippe annorum vitæ hominis ſeptuaginta anni ſunt: Pſal.89.Solon apud Laërtium Ariſtotel. in Politicis. *Teſtibus Pſalmiſta, Solone & Ariſtotele. Jam ſi ſeptuaginta annos, quæ humanæ vitæ periodus eſt in æquales duas diſpeſcas medietates, exurgent altrinſecus quinque & triginta anni. Et quoniam quot annis laborauit Chriſtus pro redemptione corporis ſui quod eſt Eccleſia, totidem Paulus ſtigmata Domini portaturus erat in corpore ſuo: vel hinc illuſtre patet, quare de Paulo recens conuerſo* Actor.9.v.15. ſciens omnia nouiſſima & antiqua *dixerit.* Vas electionis eſt mihi

mihi iſte vt portet nomen meum coram gentibus & Regibus, & filijs Iſrael. Ego enim oſtendam illi quanta oporteat eum pati pro nomine meo: *donec videlicet adimpleat ea quæ deſunt paſſionum mearum in carne ſua, pro corpore meo quod eſt Eccleſia. Quod tunc fuit quando exactis quinque & triginta annis prædicationis Pauli, & adiectis totidem vitæ Chriſti annis, integra humanæ vitæ periodus conſtitit. Conſonat poſtremo vetus inter Iudæos Traditio; quæ referente Hebræorum Cabala Chriſtum edit anno ætatis triceſimo ſexto fuiſſe crucifixum: miſſis nempe in calculum duobus extremis. Quæ Synechdochica ſupputandi ratio ſacris & prophanis ſcriptoribus perquam familiaris eſt: Eſto alioqui à die Chriſti natali vſque ad illius ſupplicium, anni ſint inter triginta quatuor duntaxat, præterque menſes terni. In quem calculum tametſi ſim propenſior quippe qui rectius nihil & compertius habeo, non ſic tamen illum mordicus defendo vt definire audeam, nedum alios mea velim aut poſſim cogere ſententiæ adſtipulari.* Coloſ. 1. v. 24.

4. Chriſtum luna 14. ſuffixum cruci in peruigilio, vel vt Ioannes ait in Paraſceue Paſchæ, quâ veſperâ Pontifices templi mactaturi erant agnum & Paſchalem ſolennitatem in magno die Sabbati celebraturi; plurima & validiſſima ſuadent argumenta: Quæ vt hic non circuncidantur, ratio haud ſinit inſtituti. Videri pleraque poſſunt apud Alfonſum noſtrum Salmeronem, & Ioannem Maldonatum. Vnum tamen haud fuerit abs re Paralipomenon his intexere, ex aduentu ſpiritus ſancti in die dominica ipſo feſto Pentecoſtes Iudæorum pariter, & Chriſtianorum ſexta die Siban tertij menſis. Semper enim Pentecoſte Iudæorum eſt ſexta Siban, eademque hebdomadæ feria cum ſecunda Phaſe, ſeu ſecundo die Azymorum: nec non quinquageſimus dies ab oblatione Manipuli primitiarum, altero die Sabbati, ſeu poſtridie Paſchalis ſolennitatis ſueta fieri. Qui canones hebræorum, & ſcripturæ ſacræ, ſanctiſque patribus & humanæ conformes ſunt hiſtoriæ. Nec facile eſt ictum hunc declinare, quòquò te vertas, vel retia effugere veritatis, voles quò voles. Adhæc diſertiſſimus Hebræorum Philo, & Chriſti æuo compar, morem fuiſſe tunc vbique gentium atteſtatur in neminem ſontium animaduertendi; donec ſolennes feriæ & feſta etiam hominum vt Auguſtorum præteriiſſent. Qui & occultum nobis pandens oſtiolum veritati atque ad Chriſtum fortean obliquè adludens, quoſ-

Ioan. 19. v. 14.

Alfonſ. Salmeron Tomo 9. Tract. 4.

Ioan. Maldonat. ad 26 cap. Matthæi.

Philo in libro aduerſus Flaccum.

Ut diebus feſtis a cæde abſtinuerint, omneſq; dies feſtos eximios habuerint à pœna; clarum ex Seneca lib. 5. controu. 4. Suet. in Tiber. c. 61. & Tacito lib. 4. Annal. *dam ſe noniſſe commemorat cruci affixos, inſtante talium feſtorum ſolennitate, fuiſſe de cruce depoſitos, & ad ſepulturam cognatis de more redditos. Ea propter in Flaccum Ægypti Præſidem acriter inuectus, dire illum ceu omnis expertem humanitatis execratur: qui in iſtiuſmodi ſolennitatibus viuos iuſſerit crucifigi.* Quibus ipſum *inquit* tempus non quidem abſolutionem, breuem tamen dabat pænæ procraſtinationẽ. *Quâ itidem cauſa permotos fuiſſe Iudæos, vt Chriſti Domini & latronum corpora non remanerent in cruce die Sabbati Euangeliſta eloquitur.* Erat enim magnus dies ille Sabbati: *Ut qui præter hebdomadariam, Paſchalem inſuper exhibebat feſtiuitatem: quæ funeſto illo & tetro crucifixorum ſpectaculo putabatur obnubilanda.*

Ioan. 19. v. 31. *Quare & vſque hodie morem vbique cernimus, pridie potius quam die feſtorum ſontes vt dedantur neci. Quin & iuſtitium per feſta indictum Iudæis & à negotijs cauſiſque capitalibus quieſcere mos erat: ſuperſtitione etiam maiore quam forte religio hodie inceſſat Chriſtianis.*

Ioſephus li. 16. Antiq. cap. 4. *Atque huius quidem rei, Ioſephus mihi eſt teſtis; qui Iudæos grauiter expoſtulaſſe ſcribit apud M. Agrippam Syriæ tum & Aſiæ præfectura fungentem; quod contra leges patrias à gentilibus feſtiuis diebus ad ſubſellia traherentur repugnantes, & ad Iudicum tribunalia.*

Ioſephus li. 16. cap. 10. Vincent. lib. 8. hiſt. cap. 8. Hiſtoria ſcholaſt. ca. 66. in acta Apoſt. *Quod vſqueadeo Iudæis ait viſum deteſtabile, vt maueliſſent vita ſpoliari quam ſic patria inſtituta violari. Et ne quis in poſterum id facere eſſet auſus edixarunt Auguſtus & Romanorum Proceres edicta aliquot: quæ tu conſule apud Ioſephum. Vincentius his addicit & hiſtoria ſcholaſtica; dum nefas fuiſſe affirmant quempiam in diebus occidere Azymorum. A quibus facit ca. 12. Actuum Apoſtolorum v. 4.*

Ioſephus lib. 1. contra Appion. & lib. 2. de bello cap. 18. Leuit. 23. v. 7. & Exo. 12. v. 16. 2. Eſdr. 10. v. 31. Ioan. 18. v. 28. *Accedit, inter illicita fuiſſe Iudæis, ſi in die ſolenni Paſchæ opus facerent aliquod ſeruile, & grande piaculum ſi non ab omni etiam ſancto opere quietem agerent; ni forte ad ſacrificia templi vel ritum propius attineret legis. Teſtem ibidem ad iſta excito Ioſephum conformia ad ſacras literas ediſſerentem: qui & execrandum fuiſſe vociferatur, cædem in Sabbato perpetrare. Quapropter Nehemiæ 10. cap. Iudæi paciſcentes cum Domino fœdus ſtipulati ſunt, nihil ſe in Sabbato empturos, neq; in die ſanctificationis. Atquin feria illa ſexta, non vſitata ſolum, ſed licita fuiſſe iſta ex Euangelio promptum eſt animaduertere. Nec ob aliud Pontifices & qui in Chriſtum crucem conſciuerunt, non introierunt Prætorium, quam ne contaminarentur, ſed vt manducarent Paſcha:*

ſcha: *Agnum indubiè Paſchalem vti ſanctiſſ: & palmares Patres, S. Auguſtinus, S. Cyrillus Alexand. Chryſoſtomus, Beda, & plerique alij Euangelicæ hiſtoriæ callentiſſimi interpretes memoriæ prodiderunt. Et quoniam allia prope roſas conſita, magis odoratas efficiunt; agedum Iudæorum teſtimonia Apoſtolicæ doctrinæ ac ſanctorum coniungamus Traditioni: quo illam fragrantiorem gratioremque reddant. Claudent itaque agmen Talmudici, qui dum in libro Sanedrin pro falſitate dimicant, falſis vera intermiſcentes, inuiti patrocinium ferunt veritati. Nam iſto quaſi ſignaculo Chriſti monumentum obſignarunt.* Quos vide in eum locum. IESVS Nazarenus ſuſpenſus eſt in vigilia Paſchæ: *Quod amplius eſt, ex malo eſt, & de facibus Iſrael.* Eo quod eſſet veneficus & ſeductor Iſraelis.

5. *Neque vero dum iſta aſtruimus, cæterorum Patrum imo Euangeliſtarum irrito conatu nitimur dogma deſtruere: quo Chriſtum Dominum primo die Azymorum manducaſſe referunt Paſcha pridie quam moreretur; quo die & neceſſe erat occidi Paſcha, & plerique itidem Iudæorum eadem ederunt veſpera quâ Chriſtus & Apoſtoli. Hanc quippe apparentem antinomiam ſic ad* ὁμοψυχίαν *reducemus. Sicuti namque mirificauit Dominus ſanctum ſuum, vt Deus pariter eſſet ac homo, Dei & Virginis filius, ſimul in vnum diues & pauper, filius Dauid, eiuſque Dominus, natus in Bethleem, & tamen Nazarenus, quæ quâ ratione coire poſſent, quia non penetrabant Iudæi & Heretici impegerunt in petram ſcandali, & inſeruerunt ſe erroribus multis: Ita mirificauit Deus diem obitus ſui, vt ſimul eſſet Luna XIV. & XV. primus & ſecundus dies Azymorum, Vigilia, ſeu Paraſceue Paſchæ, & tamen Paſcha. Quod ſingulari Dei factum prouidentia, nihil ambige; tum vt adimplerentur ſcripturæ; tum vt figura Agni Paſchalis concinnius quadraret veritati. Cum enim Paſchalis Agni immolatio figura eſſet exertiſſima tum immolationis Chriſti in cruce, quam & primariò præſignabat, tum incruenti CHRISTI in Euchariſtia ſacrificij; ne quid ad imitationem deeſſet veritatis, equidem apprimè, decebat Chriſtum & Luna X. in dominica Palmarum ſolenni apparatu introduci Hieroſolymam, quo pariter die Iudæi Agnum vmbratilem anniuerſaria in vrbem pompa inuehebant, & rurſus Luna XIV. ſacroſanctum corporis ac ſanguinis ſui inſtituere ſacrificium, quo die paſſim & hora, Agnus immolabatur paſchalis. Adhac quod maxi-*

mum eſt & propoſito conuenientiſſimum; planè decebat vt eodem temporis puncto, id Agnus archetypus veraciter repræſentaret in ligno, quod eodem momento Agnus Typicus figurabat in ſacrificio. Quare ſi caueri fractio oſſium debuit, omnis itidem violenta cauenda eſt interpretatio. Nec enim ouum (quod dicitur) tam eſt ouo ſimile, quam Agnus ille Paſchalis Agno Dei, qui tollit peccata mundi. Quid verò oblatio Manipuli Primitiarum? Manifeſtiſſima Reſurrectionis eius figura, qui primitiæ eſt reſurgentium. Atqui oblatio illa Manipuli, altera ſemper fiebat die ſolennitatis Paſchalis, ſeu Luna XVI. altero die Sabbati. Quare vt veritas concinnius quadraret figuræ, eodem debuit die ac tempore reſurgere Dominus de ſepulchro, quo faſciculus primitiarum eleuabatur in templo. Quid multa? vt vetuſtatem nouitas, & vmbram fugaret veritas, fieretque Sabbatum ex Sabbato, conueniens fuit, vt nouum Chriſtianorum Paſcha in die Dominica proximè ſuccederet, atque ſuccideret vetus Paſcha Iudæorum, quod in magnum tunc diem Sabbati incidit. Ad extremum Pentecoſte Iudæorum figura erat Pentecoſtes Chriſtianorum. Quare decens fuit vt dies quo primum eſt promulgata lex noua, in diem incurreret quo eſt promulgata lex vetus, atque vna & eadem dies & Pentecoſte eſſet Chriſtianorum & Iudæorum. Hæc porrò fieri minimè poterant, niſi dies Dominicæ paſſionis eſſet in virtute duplex, modo ante dicto. Tunc adimpletum eſt quod in figura Chriſti de IESV Naue dixit Eccleſiaſticus. In iracundia eius impeditus eſt Sol, & vna dies facta eſt quaſi duo. *Plura rei dignitas poſtularet, ſed fines quos mihi ratio Theſium circumſcripſit egredi nefas.*

S. Epiphanium omnino lege. hæreſi 51.
Leuit. 23. v. 10. & 15.
Ioſephus lib. 3. Antiq. ca. 10.
Eccleſ. 46. v. 5.

X.

Epiphoræ loco & mantiſſæ ex venuſtiſſimis typis & congruentijs, vetuſtiſſimiſque figuris ac picturis Moyſaicæ legis hic adſculpam argumentum. Nam cum teſte Propheta, *non faciat Dominus verbum, nec modicum, nec grande, niſi reuelauerit ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos Prophetas*; procul dubio tam menſis & annus, quam dies & hora mortis Saluatoris fuerint illis ab omni æuo inumbrata. Quare nunc iam legem inſpiciamus, vmbram habentem futurorum bonorum, non ipſam imaginem; præſignantem tamen eam quam Chriſtus Dei filius detracto legis velamine & velo templi ſciſſo per medium intueri nos fecit veritatem. Auguſtiſſima

Amos 3. v. 7.
Hebra. 10. v. 1.

Digitized by Google

ma autem auguſtiſſimi Auguſtini vox eſt. *Quicquid vera ratione nobis occurrerit melius, id ſciamus feciſſe Deum bonorum omnium conditorem.* Atquin vera ſuggerit ratiocinatio fuiſſe tum melius, tum veteris inſtrumenti Symbolis congruentius, vt Chriſtus die 23. Martij in Paraſceue mortem oppeteret, quâ olim conditus feria atque in peccatum prolapſus fuit Adam primus, ac die menſis 25. ſurgeret rediuiuus. Is ipſe quippe dies prima Mundi fuit octaua, prognoſticon tam Incarnationis quam anaſtaſis Redemptoris, eo die futuræ, nec non Reſurrectionis pariter noſtræ hoc ipſo die delineatæ. Quò illæ nobis magnificæ ſpectant voces Pſaltis pro octaua: & condignum regio vate Epiphonema. *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.* Scitè proinde ad id alluſum à Sophonia, *Expecta me dicit Dominus in die reſurrectionis meæ in futurum, quia iudicium meum vt congregem gentes.*

Auguſtinus lib. 3. de libero arbit. ca. 5.

Pſalm. 117.

Sophon. 3. v. 8.

ANNOTATIO XXVIII.

1. *Nec illud eſt non dignum annotatione, quod veluti exploratum ac minime dubium identidem inculcat Beda; primum conditi Orbis diem quo* dixit Deus, fiat Lux, *fuiſſe 18. Martij; atque adeo primam Mundi octauam grandi futurorum arcano in 25. Martij diem incurriſſe. Id vide palam apud Bedam tomo primo in opuſculo de diuiſione temporum, capite:* Vbi dies incipiunt & finiuntur, *tomo item ſecundo, libro de Ratione temporum cap. 4. 28. 40. 57. & 65. Iterum in commentariolo ſuper hexameron, libro præterea de temporibus cap. 10. Rurſum de ratione computi cap. 3. 10. & 13. ac denique in Ephimeridibus vbi ad 18. Martij diem, iſta eſt eius epigraphe.* Primus dies ſæculi. *Idemque viſum olim Strabo & Rabano ſuper 12 caput Exodi. Reſurrectionem verò noſtram die itidem dominica futuram, & quidem in ſolennitate paſchali; qua die reſurrexit Chriſtus, vetuſtiſſima eſt ſanctorum Patrum, ſacriſque literis cognata Traditio. Quam S. Hieronymi in 25 cap. Matthæi iudicio conteſſerare poſſumus.* Vnde *inquit* reor Traditionem Apoſtolicam permanſiſſe; vt in die vigiliarum Paſchæ ante noctis dimidium, populos dimittere non liceat, expectantes aduentum Chriſti. *Quæ eadem, vel omnino talia habent Ceolfridus Abbas in Epiſtola ad Regem Pictorum apud Bedam libro 5. hiſtoria Anglorum cap. 22. Iſidorus lib. 6. Etymologiarum cap. 17. Alcui-*

cuinus in libro de diuinis officijs, in capite de Sabbato, Rupertus lib. 7. de diuinis officijs cap. 17. & ante hos Lactantius Firmianus li. 7. ca. 19. & S. Auguſtinus vel ſi quis alius auctor pſeudepigraphus ſermone tertio, feria ſexta Paſchalis; qui eſt CLIV. de tempore. Quis verò in indiuiduo futurus ſit ille annus, menſis, ac dies iudicij extremus, nimium quantum incertum. Omnium enim de hac re calculantium digitos reſoluit ac quieſcere iubet ille, qui dicit: Non eſt veſtrum noſſe tempora & momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate: & nonne hæc condita ſunt apud me & ſignata in theſauris meis.

S. Auguſtinus lib. 15. de ciuitate cap. 53.
Actor. 1. v. 7.
Deut. 32.

2\. *Plurifariam fuiſſe conueniens vt ſexta hebdomadæ feria Auctor vitæ, vitam exueret, hocque maximè nomine, quod in illam eandem feriam primorum hominum referantur natales, auctores laudantur Irenæus lib. 5. cap. 23. Origenes tract. 35. in Matthæum, Alcuinus apud D. Thomam ad cap. 19. Ioannis, & vt ne omnes commemorem, negabit id nemo qui modo ex Apoſtolo edidicerit primum hominem rarâ antitheſi imaginem expinxiſſe ſecundi;* & æqua ſubſtantia vtrumque Adamum, *quod dixit Tertullianus* inter ſe pariare. *Atqui aptior erit haud paulo Analogia atque concinnior; ſi non alium, primi naſcentis origine mundi, illuxiſſe diem menſis aliumue habuiſſe tenorem, dixerimus annum: Adeo vt non eâdem duntaxat hebdomadæ feria, ſed eodem & menſis & anni die, quo primus ille in veris æquinoctio fuit conditus, & quo inobediens Deo ac præuaricatus in ligno mortem incurrit Animæ; eodem ſecundus pro redimendo homine Patri fieret obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Quodque mirabiliorem parit admirabilitatem, eâdem itidem hora ac momento, appenſus ligno dixit latroni;* Hodie mecum eris in Paradiſo: *quo alter ſub meridiem, diſſidij carpens pomum Paradiſi finibus fuit proſcriptus. Vt per omnia:* Vnde culpa dedit mortem, pietas daret inde ſalutem. *Sicque ad eundem tum menſis, tum hebdomadæ diem iſta retulêre Beda de ratione temporum cap. 65. & de ſex ætatibus mundi. Albertus ad 1. cap. Lucæ, Guilielmus Durand. in Rationali diuinorum officiorum lib. 6. cap. 14. & cap. 77. Hugo Floriacenſis apud Martinum Polonum in Chronico, Guilielmus Tyrius lib. 8. de bello ſacro cap. 18. Robertus Holcot lectione 28. in librum ſapientiæ. B. Ado Viennenſis in Chronico, S. Antoninus parte prima, tit. 5. cap. 5. & Vincentius lib. 7. hiſtor. cap. 45. Non relinquam in præteritis, Gaudentium*

1. Corinth. 15.
Tertul. de reſurrect. cap. 53.
Lucæ 23. v. 43

tracta-

Digitized by Google

tractatu 1. in Exodum, Cyrill. Alex. in Epiſtola ad Synodum Carthaginenſem, Athanaſium quaſt. 17. alias 54. ad Antiochum ac denique Irenæum loco prænotato. Verſiculos hic facientes quia Annot. XXII. §. 2. edidimus, nihil iteramus. Nec propoſito aberrabimus ſi quemadmodum reuertente, quotannis dominici cruciatus die modulatis concinit vocibus Eccleſiæ chorus.

De Parentis Protoplaſti, fraude factor condolens
Quando pomi noxialis morſu in mortem corruit.
Ipſe lignum tunc notauit, damna ligni vt ſolueret.

Ita pari iure nec diſparibus modulis concinamus
Ipſe diem tunc notauit, damna diei vt ſolueret.

Adhæc ſi quo ſepultus erat loco Adam primus, crucifigi eo decuit Adamum ſecundum; quid ni (amabo) eodem itidem die ac hora quod cecidit in primo, erigi oportuit in ſecundo Vt quos obſcurabat origo prioris, hos illuſtraret adoptio poſterioris, & vna eademque dies, vulnus opemque daret. *Quo loco, menſe die ac hora nullus vel excogitari poteſt cæleſtium ſacramentorũ feracior. Cui rei indicio quoq; ſunt congruentia ex parte Euæ, & diei Sabbati quo Dominus quieuit ab omni opere ſuo:* cuncta ſuperno ducens ab exemplo, Mundum mente gerens pulchum pulcherrimus ipſe. *Creatio ſiquidem Euæ, ſeu (vt voce vtar ſcripturæ appoſitè myſterium hoc innuente) ædificatio illius ex latere & coſta Adæ, figura fuit ædificationis Eccleſiæ ex latere Chriſti. Sabbatum itidem illud primum quo poſt architectatam Mundi fabricam ab omni Deus feriatus eſt opere, magnum & admirabile extitit ſacramentum prognoſticon earum, quæ in Chriſto completæ ſunt rerum. Nam & ex eius in cruce dormientis latere ædificatam eſſe Eccleſiam nemo neſcit, niſi qui Chriſtum non noſcit; & eo requieſcere die verbum Dei decebat in mundi melioris origine, quo in primo eius conditu ab omni quieuerat opere.* Quis vero rerum effectu iam in poſteris conſecuto, ſi diligenter & intelligenter aduertat animum, non ſtatim quæ operta fuerant, ſatis agnoſcit in Chriſto fuiſſe aperta? *pleniſſimamque ex vmbra legis, imaginem emicare veritatis; ſi Theophili Cæſarienſis, & Apoſtolicæ ſedis, aliorumque innumerabilium, & Doctorum, & Populorum legentes veſtigia, Chriſti mortem XXXI. ſignemus anno Dionyſiano, 23. menſis Martij die.*

Beda de ratione tempor. cap. 65. et lib. de ſex ætatibus mundi, B. Ado, Guilielm. Durãd. alij.

S. Auguſtinus lib. 4. de geneſi ad Lit. cap. 11. Beda in 23. ca. Lucæ, Gaudẽtius tract. 10. in Exodũ, & Leo Imper. orat. de Paraſc.

Auguſt. lib. 16. de Ciuitat. c. 2.

5. *Et quidem ſacratiores perhibent literæ fuiſſe conueniens, vt eo-* *1. Machab. 4.*

2.Machab.10. dem die illo ac menſe innouaretur & expurgaretur ſecundum templum
à Iuda Machabæo, qui typum prætulit Chriſti, quo triennio ante ab
Antiocho fuerat Epiphane prophanatum : qui & ipſe radix peccati,
1.Mac.1.v.11. ſeu peccatrix appellatur. Quid ni amabo fuiſſe multò conuenientiſſi-
mum fateamur; vt eodem die menſis & anni, quo peccati radix hu-
Iſaiæ 11.v.1. manam infecit, interfecitque propaginem, Chriſtus de radice Ieſſe, &
Gen.46.v.9. Catulus Leonis Iuda, purgationem peccatorum, faciens eandem
Hebr.1.v.3. nouo germine redintegraret viuificaretque? Et vt adhibeat annotatio
1.Machab.13. modum, nec à Machabæorum deuiet hiſtoria; Anno græcorum 171.
v.51.& ca.14. die 23. ſecundi menſis, qui erat vrbis 613. idemque quartus, 159. O-
v.37. lympiadis, Cyclo Lunæ XIII. & Solis IX. Simon Machabæus Ponti-
fex maximus, idemq; Iſraelitici populi Dux, & quod ſumma rei Chri-
ſti typus, hoſtes omnes Hieroſolymitana eiecit arce, montem Sion recepit,
mundauit, denique muros eius velut alter Nehemias erexit. Papæ:
quanta in hoc amœniſſimo diuinorum iudiciorum campo ſeges! quanta
oblectatio? ſiquidem à 23. die hac ſecundi menſis ad 23. vſque diem
Martij, quâ Dominus anno vrbis 783. ſeu XXXI. Dionyſiano, per
crucem inſtaurauit omnia quæ in cœlo ſunt & quæ in terra, anni omni-
no 171. interfluxêre. Adeo vt dilectus Eccleſiæ ſponſus Chriſtus Ieſus,
Cantic. 2.v.9. qui ſtat poſt parietem ſacrarum ſcripturarum reſpiciens per fene-
ſtras, proſpiciens per cancellos myſticum numerum ſuâ paſſione re-
ſerârit. Iugum hoc quippe græcorum, tam peccati quam diaboli iu-
gum præſignabat. Sed propero: & vt alia ſileam, Analogiam tamen
Orig. homil.2. ſilere nequeo pietatis ac elegantiæ pleniſſimam. Aries olim ſacrificium
in Numer. S. pro peccatis, typum præ ſe tulit Chriſti; ſicuti & alter ille quem corni-
Auguſt. 10. de bus in frutice tunc vidit Abraham, quando vidit diem Chriſti & gaui-
Ciuita.cap.32. ſus eſt. Quidni quæſo, noſter hic iuſtitiæ Sol præmonſtratus, quoque
Cyril. Al.lib.2. fuerit illo Ariete quem cœli poſitum firmamento Sol, die 23. Martij,
in Ioan.c.2. & quo paſſus Saluator, eſt ſubingreſſus? Ad poſtremum cum vſquea-
lib.7. in Geneſ. deo crebro ſacra teſtentur eloquia, quam mirabilia ſint teſtimonia &
Heſychius li.1. opera Dei, fidelia omnia & iuſtificata in ſemetipſa, exquiſita in omnes
Leuit.cap.5.S. voluntates eius, fragrantia vnguentis optimis; ecquod eſſe dubium po-
Maxim. hom. teſt, quin DEVS qui fecit ventis pondus & aquas appendit in
1. de Paſchate. menſura opus hoc redemptionis noſtræ omnium diuinorum operum
Iob 28.v.26. longè operoſiſſimum & excellentiſſimum, loco item & tempore excellen-
tiſſimo, annoque menſe & die, atque momento perfecerit conuenientiſſi-
mo.

Digitized by Google

mo. Omnia namque proprijs locis & temporibus egit Saluator. *Nempe vt non aliter atque Mediator noſter illud operatus eſt in medio terra, inque monte Caluaria (quo & immolatus olim ab Abrahamo creditur Iſaac, & ſepultus protaplaſtus) atque in dimidio annorum; conſimilem quoque in modum die illo & hora ac veluti momento perageretur, quo olim vt præfatus ſum, primus homo in peccatum corruit, & quo velut in proſcenio hoc tunc per Pontifices exprimebatur in templo, quod reuelata legis imagine exhibebat Chriſtus in patibulo. Horam certè mortis Chriſti ſingulariter fuiſſe à Deo ex æternitate præordinatam, illud præter alia liquido eſt argumento: quod identidem Euangeliſtarum concrepant voces.* Nondum venerat hora eius. *Quaſi ad horam ſemper aliquam myſticotatam collinearet, quâ eodem temporis puncto, hoc Agnus Archetypus veraciter repræſentaret in ligno, quod eodem momento Agnus typicus figurabat in ſacrificio. Erat autem punctum hoc hora nona ante ſolennem Paſchæ diem: quod ſupra verticem Paſtophoriorum ex vnâ turrium per ſacerdotum aliquem clangore Tubæ omnibus edicebatur. Cum itaque Articulus hic temporis iam iamque appeteret, & ſacerdos buccinaret è Paſtophorijs Tuba in inſigni die ſolennitatis Iudæorum*; ſciens Ieſus, quia venit hora illa eius *plena myſterij, & ab æterno præordinata à Deo, ſuper quam in omni vita tetenderat lineam*, vt ex hoc mundo tranſiret ad Patrem: *Intonuit de cruce Dominus & altiſſimus dedit vocem ſuam, dixitque nouiſſima verba.* Conſummatum eſt: Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Et inclinato capite emiſit ſpiritum. Erat autem hora nona, & Paraſceue Paſchæ. *Quod ille adiunxit diſcipulus qui fluenta Euangelij de ipſo ſacro dominici pectoris fonte potauit, & pluſquam Aquilinam aciem ad abditam intendens veritatem ſecreta cæleſtia, quæ bibit multa in abſcondito, eructauit non multis in propatulo. Porro haud paulo plures reperiet congruentias, quiſquis iuxta myſticam præcepti intelligentiam, Agnum typicum articulatim & per iuncturas diuiſerit, oculumque amoris ad iſtæc intendens, vigilauerit ad fores æternæ ſapientiæ, & ad poſtes oſtij eius: obſeruaueritque eam* ludentem per ſingulos dies, ludentem in orbe terrarum, & delitias eius eſſe cum filijs hominum. *Pro alio autem die quocunq, Menſe vel Anno dominicæ Paſſionis, (vt minus ſapiens dico) neque ratio firmior, neque Traditio antiquior, neque auctoritas maior, neque*

S. Auguſtinus quæſt. 55. in nouum Teſtamentum.

Ioan. 2.7. & 8. cap. & paſſim alibi.

Id palam oſtēdunt Ioſephus libro 7. de bello cap. 17. iuncto cap. 9. lib. 5. & Hegeſippus in Anacephaleoſi.

Matthæi 27. Marci 15. Lucæ 23. Ioan. 13. & 19. verſ. 14.

Digitized by Google

AMPLISSIMO PRÆSVLI

AC REVERENDISSIMO DOMINO, DOMINO

IOANNI GVILIELMO HELLERO, ABBATI GARSTENSI, SACRÆ CÆSAREÆ MAIESTATIS CONSILIARIO.

LAVRENTIVS SVSLYGA

Fœlicitatem.

NON DIV ANCIPITEM huc illucue volui animum aut procul quærendus mihi fuit, quem laborum auſpicem, tutoremq; ac patronum meorum eligerem ſtudiorum ; quando tu PRÆSVL Reuerendiſsime eligendus ilico

occurrebas, qui cæteris beneuolentia, liberalitate, pietate longèpræemines. Sicuti porrò munificentiam non hic tuam laude exequar ſed venerabor; ita beneuolentiam pariter, ac pietatem adorabo ſilentio, non adornabo eloquio. Et hæc mihi cauſam dedêre, quamobrem non de Aſini vmbra, aut lana (quod aiunt) caprina, ſed in re grauiſsima, & diu multumque à venerando ſanctorum Patrum ſenatu quæſita, tibique gratiſsima Vaticinij Danielis de ſeptuaginta hebdomadis intelligentia, pro multis vnum officium reponerem. Mirus in me tuus eſt amor, fauor ſingularis. Grata tibi in Deum pietas, & *timor Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi: iudicia Domini vera iuſtificata in ſemetipſa, Deſiderabilia* tibi *ſuper aurum & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel & fauum.*

uum. Vt penitus ambigam nihil, acceptiorem tibi hanc meam fore diſſertatiunculam, quàm ſi gemmas raritate nobiles, feroceſue Caballos, aut barbarica largirer periſtromata

Sed non hæc mihi vis, nec tibi talium
Res eſt aut animus deliciarum egens.

Amorem erga me tuum, tu noſti; ego expertus ſum, nec arbitro egeo alio. Pietatis teſtis eſt labor tuus, quo ſumptu multo, amplo, templum, aras, clarè, ſplendidè, veſtiuiſti, ditaſti: teſtis fidei Zelus, quo pertinaces Hæreticos ſedibus, ædibus, ſolo tuo, niſi molleſcant, franganturque, arcuiſti. Religionem nôrunt, non ij qui tuos duntaxat mores inculpatos nôrunt, ſed & qui Monachij tui diſciplinam germanam, illuſtrem, conſtantem acceperunt. Claret Benedictini inſtituti obſeruantia, Beati BERCHTOLDI patrocinio, religio-

gis aſsiduè locupletas, collocatum ſi minùs in delicijs, in oculis ſaltem aliquando habebis; quique ſi non ſplendorem addat, numerum augeat, locum ſeruet. Tu Reuerendiſsime PRÆSVL lege, & in breuibus chartis numeroſos magnorum cerne conflictus ingeniorum. Vatis diuinitatem vt comprobet euentus admirare; ſimulque æternam DEI Sapientiam aduerte *ludentem in orbe terrarum, ludentem per ſingulos dies, menſes & annos, & delitias ſuas eſſe cum filijs hominum. Qui continens eſt iuſtitiæ, & vigilat ad poſtes oſtij eius, apprehendet eam, & obuiabit illi quaſi mater honorificata.* Viue ſanus, ſaluus, beatus. Græcij ex ea, quæ te quondam enutrijt & Doctoratus laurea inſigniuit, Vniuerſitate Archiducali Kalend. Ianuarij, Anno Domini, M. DC. V.

atque enarratorem ſuorum eſſe operum voluit Hominem: ita & vaticinium hoc inter maxima oraculorum ſacrorum diuiniſſimum, & pro hominibus ſcribi, & ab ijſdem videri ac ſuſpici voluit, & quicquid magnificum mirumque continet intelligi.

II.

Atque vt aliud præterea nihil, verbum certe Saluatoris, *Qui legit intelligat*, tametſi latentem in Danielis ænigmate, & obſcuritate inuolutam innuat veritatem, attamen erui ac enucleari poſſe declarat: nec nos ſcire illam vetuit, ſed velut theſaurum inueſtigare ſedulo ac ſcrutari voluit. Irenæus vt multa præclarè, ſic hoc breuiter: *Omnis Prophetia priuſquam habeat effectum, ambiguitas & ænigma eſt hominibus: cum autem venerit tempus eius, & euenerit quod prophetatum eſt; tunc Prophetia habent liquidam, & certam expoſitionem*. Euentus quippe explicat Prophetiam, & rerum geſtarum ordo, nubilum omne diſpellit hæſitationis. Et quoniam Danielis hoc oraculum, nihil eſt aliud, quam *teſtimonium Chriſti Domini fidele*, omni Tuba clariorem edens vocem, ipſum eſſe Meſſiam; quingentiſque ante ac eo amplius annis, quaſi digito illum indicans annum, quo verus Dei filius confixus eſt cruci: hinc vnus fuit merito omnium & indefatigabilis labor ſcriptorum: vt illud in Chriſto Redemptore noſtro ad obulum oſtenderent adimpletum. Rati nempe, vnicum hoc Danielis de Meſſia vaticinium lectum, & intellectum per ſeſe ſufficere: vt Iudæi pariter & gentiles omnes Chriſtiana ſacra complecterentur.

Mat.24.v.15.

Iren.lib.4.aduerſus hæreſ. cap. 43.

III.

Oraculi porro intelligentia exaggeratam totius vitæ Chriſti Domini efflagitat annorum ſeriem, quatuor inſuper Monarchiarum periodos, Babylonicæ, Perſicæ, Græcæ & Romanæ, omnem in partem ſtudioſiſſime enucleatas, Quod verò Eſychius nemini ſuam hic ſinit promere ſententiam, in quo id Magiſter facere dubitauit Hieronymus, ab inueſtigatione veri abſterrere haud quenquam debet. Præclarè namque altiſona Eccleſiæ Tuba S. Leo. *Non temeritas interuenit præſumptionis, vbi eſt diligentia pietatis:* Præſertim cum & inuentis addere aliquantillum, haud ſit adeo difficile, & non rarò fiat teſte Magno Gregorio, *vt DEVS, ſicuti ſticum minora interdum denegat, quibus maiora conceſſit, ita minora ſubin-*

Eſychius epiſt. 79. ad S. Aug. Inter epiſtolas Auguſtini.

S. Hieronym. ad 9. cap. Dan.

D. Leo epiſtola 92. ad Ru-

S. Gregor. li. 3. de ijs, dialogo ca. 14.

Digitized by Google

de iis, donec quibus maiora denegauit. Omnium verò ille καρδιογνώστης ſanctus Spiritus tantum hic interpretamentorum, quantam ferè in hominibus vultuum fore varietatem præſagiuit, vatique adeo id præcepti dedit: vt ne arcanum Oraculi eſſet in propatulo, Prophetiam clauderet, & ænigmatico verborum tectam
Dan. 12. v. 4. inuolucro ad poſteros tranſmitteret. *Tu Daniel claude ſermones & ſigna verbum vſque ad tempus ſtatutum. Plurimi pertranſibunt & multiplex erit ſcientia.* Ita ecce ſermones libri clauſit & ſigna-
Apoc. 5. uit Daniel: vt neque in cœlo, neque in terra, neque ſubtus terram aperire quiſquam vel reſpicere potuerit librum ſcriptum intus & foris, & ſeptem ſigillis obſignatum: ante quam magni conſilij Patris Angelus, ſacratiſſima illum ſua paſſione reſeraret, ac myſticum velum quod ſuper vaticinia Prophetarum atque legis arcana, velut ante ſancta ſanctorum erat oppanſum enudaret.

IV.

Atque vt viam præſternam quo veritatis arcem tenere, & in adyta oraculi valeamus penetrare, primum pono illud idemque certiſſimum; nihil ad Hyrcanum vel Agrippam, conſimileſue terræ filios, Danielis attinere vaticinium, ſed ad vnigenam Dei ac Virginis ſpectare prolem, in quam velut ad album ſagittariorum Lex & Prophetæ collineant. In quam & decantatum illud Maronis cadit elogium. *Hic vir, hic eſt tibi quem promitti ſæpius audis,* In lege & Prophetis *Gens aurea Mundo, Eccleſia ſanctorum: Ciuitas Sancti* cuius Rex eſt, & conditor ac ſponſus Chriſtus. Quapropter quicquid in hocce vaticinio ſubobſcurè dictum, quoquo tandem modo intelligatur, reſtauratorio crucis Chriſti anno, Tribunic. Poteſt. Tiberij XVIII. LXXVI. Iuliano, nec non XXXI. Dionyſiano, oportet conuenire. Cum hoc itaque anno dimidium ſeptuageſimæ hebdomadæ velut tenaciſſimo glutino concentuque haud diſcordabili cohærere penitus eſt neceſſe: ſicuti & vndeſeptuaginta hebdomadas in Chriſti Baptiſmo, XV.
Chryſo. orat. cont. Iudæos. Tribuniciæ Poteſt. Tiberij anno ad perpendiculum fuiſſe completas fas eſt confiteri. Optimè autem & veriſſimè S. Chryſoſtomus:
Idem eadē Cyril. catecheſi 12 August. epiſt. 483. Hieron. Euſeb. cæteri. *Hic mihi diligenter auſcultate. Nam hic eſt totius cardo quæſtionis. Hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ conficiunt annos* ſolares ne dubita & populares.

ANNOTATIO XXIX.

Ne quod olim in Declamatorem illum laudum Herculis ab Antalcide intortum eſt ſcomma, idem in nos diſtringatur, in rebus clariſſimis nullamque deſiderantibus lucem, non accendimus lucernam. Quare illud ſolum habemus monere, quod tametſi potuiſſet omnino Angelus de annis hic loqui Lunaribus, quo propheticum magis ænigma ingereret, poſſentque & hoc ſignificatu verba illius capi ſeptuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt, *ſi modo temporis ratio & hiſtoriæ veritas, non aliter noſtro poſſent coaptari Saluatori; ſeu etiam ſi cum annis mage Lunaribus, quam cum Solaribus cohærerent. At enim longè ſecus ſe rem habere, id palam mox oſtendemus. Etſi autem Hebræi, vt Paſcha olim feſtaque mobilia quotannis celebrarent, menſibus vterentur lunaribus (quod & hodie Chriſti ſeruat Eccleſia) in Epochis tamen ſuis aliarum more gentium, annos adhibebant ſolares: ad quos per menſes embolymæos, ſoliti pariter ſunt annos reuocare lunares: ne in media Bruma Paſcha quandoque recurreret. Ratio præterea omnis annorum nutaret prorſus in ſacris literis, niſi qui in illis memorantur, anni eſſent ſolares. Audi Cenſorinum:* Cum de aliquo annorum numero hic dicetur, non alios par erit quam naturales *(hoc eſt ſolares)* accipere. Et ſi Origo Mundi in hominum notitiam veniſſet, inde exordium ſumeremus. *A quo facit* [illegible] *vulgaris loquendi vſus, tum maior meliorque pars ſcriptorum;* [illegible] *ulliani contra Iudæos cap. 8. Clementis Alexand. libro 1. ſtromatum, S. Ioannis Chryſoſtomi, Auguſtini, Cyrilli, locis ante notatis, Euſebij lib. 8. demonſtrat. Euangel. cap. 2. cuius ſententiam refert quoque S. Hieron. ad 9. caput Danielis, nec refellit. Prætereo Lyranum ad cap. 9. Danielis, & Petrum Galatinum lib. 4. cap. 14. & ſequentibus quoſque iſti allegant Hebræos, Driedonem item lib. 3. de dogmatibus ſacræ ſcripturæ cap. 5. parte 4. Ioannem Lucidum, Genebrardum alioſque innumeros. Nec ſupprimunt Alfonſus noſter Salmeron, & Franciſcus Suarius hanc conſtantem eſſe Hebræorum, Græcorum & Latinorum ſententiam. Et potius quàm illam deſerant, grauem in olympiadibus ſurrepſiſſe cauſantur errorem. Sed ne cum Thracio Ruſticano, quod vetus habet fabula, oleas omnes viteſque ſtirpitus exſcindamus, nihil in olympiadibus laxamus, nihil conuellimus. Alius huic nodo cuneus; diuerſus ab illo Alexandreo quærendus gladius. Satis nunc hoc in præſens, & nodum*

Cenſorin. ca. 8. de Natali Vrbis.

Salmeron to. 1. Prolegom. 43. Suarius tom. 2. in 3. par. diſput. 1. ſect. 2.

Digitized by Google

& vrbis 783. Nabonaſſaris 777. idemque 2. 202. Olympiadis, Cyclo Solis XII. Lunæ XIII. probè ſubducamus eram, & per 487. retro eamus annos, hic nobis prodibit, qui cum ineunte Vrbis 297. Nabonaſſaris 291. & 4. 80. Olympiadis competet, Cyclo Solis primo, & Lunæ itidem primo. Qui ab exordi regni Xerxis fuit 28. Artaxerxis verò Longimani à morte Parentis partim octauus, partim ſeptimus: ex quo autem cum Xerxe regnare cœpit 23. Et hic quidem ſe nobis offert portus & ſtatio bene fida carinis. Sed tres fulciendæ Anchoræ. Prima, quâ annum exædificatæ omnino Hieroſolymæ, certiſſimo nodo firmiſſimiſque rudentibus cum 28. ab exordio regni Xerxis vinciamus. Altera quâ Longimani regnum ſuperſtite etiamdum Parente firmemus. Tertia, qua anno demum 20. ex quo à Patre declaratus eſt Rex, miſſum comprobemus Nehemiam, qui vrbem templumque Hieroſolymorum triennio plus minus ſplendori atque integritati reſtituerit. Ab hac radice cætera pendent fibræ. Sed præformanda monni nonnulla & via ſentibus virgultiſq; obſita ante perpurgenda.

2. Hoc igitur prauertendum; varijs temporibus, & à varijs perſonis DEO, Angelis, Prophetis, & Perſarum Regibus exijſſe ſermonem de reducenda & reædificanda Hieroſolyma. Et illa quidem prædictione vatis valere iuſſa de qua Pſaltes: In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, primò prodijt hic ſermo à Domino per Iſaiam. Qui dico Ieruſalem habitaberis & ciuitatibus Iuda ædificabimini, & deſerta eius ſuſcitabo. Qui dico Cyro Paſtor meus es, & omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Ieruſalem ædificaberis & templo fundaberis. Et rurſus. Ego ſuſcitaui eum ad iuſtitiam, & omnes vias eius dirigam: ipſe ædificabit ciuitatem meam, & captiuitatem meam dimittet. Secundo ſermo hic ex ore iuit Hieremiæ cap. 27. v. 22. & cap. 29. v. 10. & cap. 30. v. 18. vbi ſatis eſt ad fontes digitum intendiſſe. Tertio, ex ore Baruch cap. 2. v. 34. & cap. 4. v. 23. & cap. 5. v. 6. & cap. 6. v. 2. Quarto, ex ore Angeli & Danielis anno vno Darij Medi: Daniel. c. 9. v. 1. Quinto, ex ore Cyri Regis Perſarum. 2. Paral. cap. extremo, & 1. Eſdræ 1. v. 2. Sexto, ex ore Darij Hyſdaſpis anno 2. regni eius, 1. Eſdræ 6. & 3. Eſdræ 4. Sub idem tempus exijt pariter hic ſermo ex ore Dei, & Aggæi ac Zachariæ Prophetarum. Septimo, egreſſus eſt ſermo ab Artaxerxe Rege illo Perſarum qui Eſdram miſit, datis ipſi ante muneribus, & libertate Iudæis edicto proclamata reme-

Pſalm. 125. Iſai. 44. v. 26. Iſaiæ 45. v. 13. Aggæi. 1. & 2. Zacha. 1. v. 16.

Digitized by Google

remeandi in Paleſtinam: quando & omnem petitionem eius Rex li-
Esdr. c. 7. beraliter Eſdra conceſſit. At de hoc Artaxerxe diſſenſus eſt ſcripto-
rũ Xerxeſne is fuerit, vel filius eius Longimanus, quos non pro re mea eſt nunc componere. 8. prodijt hic ſermo ex ore Artaxerxis Longimani anno regni eius 20. Nehemia 1. v. 1. & cap. 2. v. 1. Syrtes in Africa feruntur eſſe, in quibus ſi peritus deſit Ductor extinguuntur aduena æſtu reciprocantium arenarum. Illa hic in prophetico iſto ſunt puluere. Quare vt quàm fidenter haſce inimus Syrtes, tam fœliciter exeamus, certa ab incertis ſeiungenda primum. Palam porro eſt Iſaiam octingentis ante annis ſua fudiſſe oracula, quam diuinum illum pro nobis ſuum Chriſtus ſanguinem oppignoraret: Hieremiam & Baruch minimùm ſexcentis; Danielem, Aggæum & Zachariam plus ſaltem quingentis. Quare omnem tollit calculus dubitationem, caput 70. hebdomadum ad poſteriora eſſe tempora transferendum. Ex quo clarè diſces, quot quantiſque paraſangis de via deflexerint, Hippolytus martyr Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, Euſebius, Cyrillus Hieroſolymitanus, & quos exequi longum: qui vel ad annum Darij Medi, & Cyri Perſæ primum, vel ad Darij Hyſdaſpis aut Nabuchodonoſoris, & Hieremiæ tempora, clauum fixêre. Nam vt verba Angeli illis adiudicarent, abiudicat calculus. Cum autem veterum annales conſtanti prodant aſſenſu, viceſimum annum ex quo à morte Xerxis regnum capeſſiuit Longimanus cum 4. competere 83. Olympiadis, qui fuit vrbis 309. & Nabonaſſaris 303. nequaquam illo poteſt vel miſſus eſſe Nehemias, vel caput indidem duci 70. hebdomadum. Is quippe annus toto duodecennio eſt poſterior. Multò minus à 20. anno Artaxerxis Mnemonis ordiri illas placet: quod ille plus totis ſeptuaginta annis deuiet ab itinere iuſto. Neque iam in lite pono, ſed pro conceſſo confeſſoque habeo, Templi fabricam quæ Cyri Perſarum Regis iuſſu cœpta, & mox Cambyſis mandato fuit interrupta, repetitam anno ſecundo Darij Hyſdaſpis, contra quam volunt nonnulli, qui in Darij Nothi tempora dilatam Templi ſtructuram putant. Stat à me Ioſephus lib. 11. Antiq. cap. 4. à quo auctore tam probo ſine claris & liquidis coniecturis, certiſue teſtibus ægrè diuellor: Nec is ſine comitatu eſt; Quin & agmen poſt ſe ducit commilitantium: Hebræos in Seder olam cap. 28: ex noſtris Alexandr. Clementem libro 1. ſtromatum, Euſebium in Chronico & libro 8. demonſtrat. Euang. demonſtrat. ſecunda, S. Theophilum Antiochenum

lib. 3.

lib.3.ad Autolycum, qui & Beroſum huius rei teſtem dilaudat, Iulium African. & S.Hieronym. in 9. cap. Danielis, Cedrenum in compendio: quibus accedit ſuffragium prope omnium poſterioris æui ſcriptorum. Faces adhæc illuſtres admonet Herodes ipſe Aſcalonita, qui Templum hoc a fundamentis euertere, aliudque eius loco haud paulò magnificentius ſuperextruere geſtiens, in concione ad omnem Iudæorum gentem ceu rem enarrauit nulli non notiſſimam, edictum inſtaurandi templi primum à Cyro, poſt a Dario Hyſdaſpis prodiiſſe. Eandem & nos ſententiam hiſce etiam argumentis fulcimus. Quo tempore & ſub Cyro, & ſub Dario repetita eſt Templi fabrica plurimi *tum ſuperſtites erant* de Sacerdotibus, & Leuitis, & Principibus Patrum & Seniorum, qui viderant prius Templum cum fundatum eſſet, & hoc Templum in oculis eorum, *cum nihil haberet comparationis*, flebant voce magna. *Auctor Eſdras & qui illi teſtis ac coæuus Aggæus: vbi idipſum S.Hieronymus, & rurſus ad 40.cap. Ezechielis, & Ioſephus lib. 11. cap.4. adfirmant. Ex quo euidenti luce perſpicitur, ſtructuram ſecundi Templi in ſextum Darij Nothi annum conferri neutiquam poſſe: præſertim verò ſi à ruina Templi, & Sedechiæ 171. vel eò plures (vt nonnullis viſum) præterlapſi ſint anni. Nam cum ſenes hoſce omnes, annorum plus minus 20. fuiſſe ius ſit æſtimare, quo tempore excidium euenit Templi, (alias quippe haud adeo viua, experſque ſepulchri adhæſiſſet illis memoria) opus plane foret conſiteri, illos tunc quoſque ducentorum prope fuiſſe annorum. Quod vel opinoſiſſimus quiſque cachinnos veritus dicere formidabit. Eſdras deinde incorruptus Iudex in aduerſam ire vetat ſententiam. Nam cum illum ſacrata loquantur pagina filium extitiſſe Saraiæ, filij Azariæ ſummorum Pontificum, atque adeo vel eundem fuiſſe cum Ioſedech, vel equidem germanum illius fratrem (quod & liber 1. Paralip. cap.6. v.15. & Traditiones Hebræorum apud Hieronymum adſtruunt) palam profecto eſt, nequaquam potuiſſe illum ad ſeptimum vſque Artaxerxis Mnemonis annum ſuperuiuere; nedum id ætatis regimini præfici ac legationi Iudæorum. Siquidem Saraias eius Parens anno Sedechiæ 11. Nabuchodonoſoris iuſſu neci datus eſt. Quare vt Eſdram Poſthumum fingas, æque tamen ducentorum prope tum fuerit annorum. Et quò maiore vrgeam anachroniſmo; ſignum edo inſolubile quod finem adferat controuerſiæ. Ab anno primo Monarchiæ Cyri, quo ad Pileum captiuitas eſt vocata Iudæo-*

Apud Ioſephū lib.15. cap. 14.

1.Eſdr.3. v. 12. & lib.3. cap.5. v.63.

Aggæus 2.

1.Eſdræ 7. v. 1. & li.4.c.1.v.1.

S.Hierony. in quæſt. & Tradit. Hebraicis *ad 1.lib.Paral. Hieremiæ 52. v. 24. & 27. 4.Reg.25.v.21 & apud Ioſephū lib.10.c.11.*

Digitized by Google

Tot ſupputat annos & rectè Ioſephus Scaliger libr. 6. pag. 557. & pa. 41. prolegomen. Tametſi alij multò plures.

daeorum IESV Duce & Zorobabele, ad annum vſque ſextum Darij Nothi, anni cum minimum ex opinatione omnium CXI. praetercurrēre. Si itaque quando Ieſus & Zorobabel praefuēre laxatae a Cyro captiuitati, annos 20. gerebant vitae, ſexto illo Darij Nothi anno, centum plus & triginta extiterint annorum. Quod quis credet? Nemo equidem qui modo memoria repetat Zorobabelem, quando ſub Dario Templi reſumpta eſt ſtructura, in flore aui & aetate etiamdum fuiſſe iuuenili. Libro etenim 3. Eſdrae cap. 3. v. 4. & 16. & cap. 4. v. 15. & 58. is ex tribus vnus fuiſſe fertur Adoleſcentibus, qui Dario dati erant vitae cuſtodes. Quare & locis praenotatis Zorobabel affluenter, & crebro modò iuuenis, modò adoleſcens memoratur.

3. Non ingratum opinor faciam, ſi trium iſtorum iuuenum hiſtoriam, de veritate omnium fortiſſima coram Dario problema ventilantium, à ſuſpicione fabulae vindicem. Hoc enim ſtabilito & concluſo, humanae ac diuinae hiſtoriae pacem haud difficile ex temporum quiſque ratione conficiet. Igitur tertius Eſdrae liber eam hiſtoriam, ceu ſacram nihilque de mendacij reſperſam fuligine commemorat. Quem librum quantumuis extra ſincerum canonem Synodus Tridentina diſpunxerit, liquidioris nihilo minus eſt fidei, quam vel Liuij vel Taciti annales, aut Suetonij, vel ſi quis vſpiam illis praeter ſcriptores hagiographos reperitur praeſtantior. Vnde & longa iam ſaeculorum praeſcriptione eam vbique promeruit praerogatiuam, vt ad ſacrum ſcripturae canonem velut gradu proximus nunquam non annectatur. Dicta hiſtoria vterque Ioſephus Iudaeus addicit: ille lib. 11. cap. 4. hic lib. 1. cap. 14. Clemens itidem vterque: Alexand. lib. 1. ſtromatum, & Roman. lib. 1. recognition. Quibus & ſubſcribunt S. Athanaſius in Synopſi ad librum Eſdrae, & loco rurſus inferius notando; S. Sulpitius lib. 2. hiſtoriae, Glycas parte 2. annalium, Cedrenus in compendio, S. Antoninus 1. parte hiſtor. tit. 4. cap. 1. Genebrardus lib. 2. Chron. Ben. Pererius noſter lib. 13. in Danielem, & quos complecti pene infinitum eſſet; Quorum vt vilis ſit auctoritas, nemo ſit licet ille κερδόσβολοσ de facili feret. Approbat quoque hiſtoriam S. Auguſtinus, eamq; ceu ſacram plena manu dilaudat: illoque aenigmate veritatis, quae vincit omnia Chriſtum myſticè praemonſtratum notat explicatque eleganter. Caeteri pariter vetuſti aui ſcriptores, vt S. Cyprianus, S. Athanaſius, & D. Ambroſius frequentes ex libro 3. & 4. Eſdrae, haud aliter ac ex conſpicuo Eccleſiae

Auguſt. li. 18. de Ciuit. c. 36. Cyprian. epiſt. ad Pompeianū Athanaſ. lib. 3. contra Arian. Ambr. paſſim.

arma-

armamentario, arma & ſuffragia depoſcunt. Eccleſia poſtremò verſiculos & Antiphonas indidem haud rarò mutuatur. Et de hoc nunc ſatis.

VI.

Atque vt verum eſt, & tum ex ipſis rerum euentis, tum ex ſacratarum teſtimonio literarum, & quo in ijſdem Nehemias ornatur elogio exiſtimatu facile; initium ſeptuaginta hebdomadum ſub Præſidatu ſtatui oportere Nehemiæ: ita minimè dubitanter pronunciamus, neque tunc primum quando is ex Perſide in Iudæam remeauit, exijſſe edictum à Rege Perſarum de reædificandis Hieroſolymis, neque ab illo præfinitè anno æram hebdomadum ſubducendam. *Et Nehemias*, ait ecc. Eccleſiaſticus, *in memoria multi temporis, qui erexit nobis muros euerſos, & ſtare fecit portas & ſeras, qui erexit domos noſtras.* Neque verò is vrbem tantummodo, ſed & Templum pariter inſtaurauit, celebratoque dedicationis & conſummationis Templi feſto die obtulit ſacrificium quinta & viceſima menſis Caſleu in die Scenopegiæ, & dati ignis: quem æ therea dimiſſum ſede, nihilo ſecius ac olim Moyſes & Salomon diuinitus accepit. Sicuti autem prioris Templi vrbiſque deſolatio Hieroſolymorum, atque totius domus Iudæ captiuitas Babylonica, non vno fuit eodemq; tempore per Regem inducta Chaldæorum: ſic nec per Regem itidem Perſarum vno fuit tempore perfectè reducta, nec Templi & Vrbis fabrica ex integro inſtaurata. Et verò triplici per Chaldæos tranſmigrationi, triplex itidem populi reddita eſt remigratio, & ternæ Vrbis ac Templi deuaſtationi, terna iuxta ſtetit tum Templi, tum Vrbis inſtauratio. Vt ſecundum multitudinem dolorum ac flagellorum, conſolationes electum Dei populum lætificarent. Quod præſaga mente futuri præſentiens aiebat vates: *Sicut viderunt vicinæ Sion captiuitatem veſtram à Deo, ſic videbunt & in celeritate ſalutem veſtram à DEO, quæ ſuperueniet vobis cum honore magno, & ſplendore æterno.* Ab die autem hoc reductæ ad plenum captiuitatis Templique & Vrbis dedicatione conſummatæ; quando & Nehemias obtulit ſacrificia, ignemque cælitus ſuſcepit, quiſquis vel ad latum vnguem diſceſſerit, aut terminum hunc 70. hebdomadum refixerit, ſerius aut citius feret ſentietque incommodum.

Eccle. 49. v. 15.

2. Machab. 1. v. 18. & cap. 2. v. 9.

Adi 7. Theſim tertiæ partis.

Baruch 4. v. 24.

ANNOTATIO XXXI.

Noſtra intereſt monere, ne quis notam nobis aſpergat inconſiderantiæ, Edictum readificandæ Hieroſolymæ non illo primum exiiſſe anno, quo Nehemiam Artaxerxes legatum deſtinauit Iudææ. Quod ne plus admirationis habiturum ſit quam fidei, firmamenta adiungo doctrinæ. Ac primum Iſaias Propheta, verbis ante recitatis clariſſimè prædixit de Cyro qui Perſarum fundauit imperium, omnem voluntatem meam complebis, *de reducenda captiuitate, deque non Templo tantùm, ſed Vrbe pariter Hieroſolymorum readificanda. Quare vel aliquid de mendacio affricabimus vati (quod dictu factuque ne fas) vel certè Cyrum qui ſolui iuſſit captiuitatem, fatebimur iidem iuſſiſſe conſtrui, tam vrbem Iudæis quam Templum. Hæc quippe facturum omnia pandunt Iſaiæ oracula. Re autem & veritate Cyrum iſta quoque perfeciſſe, adeoque nec vati manum vel mentem aberraſſe, indice & teſte Ioſepho euincimus. Hic enim vbi Cyrum narrat* admiratum Iſaiæ de ſe vaticinium, correptum infit ilico cupidine exequendi, quæ tanto ante vates prædixerat, conuocatiſque Iudæorum Primoribus edixiſſe: Permittere ſe illis, vt in Patriam proficiſcantur, vrbemque Hieroſolymam, & Dei Templum denuò ædificent. *Ipſam deinde baſilicam Cyri ſubiicit ad verbum epiſtolam; quâ Syriæ Satrapis denunciat, ſe facere poteſtatem Hebræis vrbem denuò condendi Templumque reparandi. Quod minimè à Ioſepho confictum, ſed à Cyro confectum diploma regium, res ipſa tot tam claris argumentis ſigniſque lucens demonſtrat. Nec certiore alio id declarari indicio poteſt, quam quod ex verbis Danielis & Hieremiæ, quæ in præſens ne longior ſim explicare nil attinet ſed indicare, per ſe accuratus Lector proliciet. Ex 4. tandem Eſdræ libro cap. 10. v. 27. hæc pluſculum ponderanda ſuggero verba.* Ciuitas ædificabatur anno triceſimo ruinæ ſuæ: *quo nempe Cyrus ſeruitutis compede Iudæos exoluit. Nec quicquam vereare, vt erret calculus. Quando illum & Hieronymus, & Auguſtinus, & Theodoretus, & Iſidorus, & Euſebius, cæteri approbant. A quibus teſtes multiplices & teſtimonia ſtant multifaria. Sed quia in tranſcurſu hæc, & vt Canis è Nilo, iis prætermiſſis quæ ſeptuaginta annos ſeruitutis propius, quam 70. tangunt hebdomadas, Iulio Africano auſcultemus. Ait verò* Iudæos ad Cyri Regis imperium conatos fuiſſe ædificare Templum, vrbem & muros eius: ſed

Vide ea Annotat. 30. ex cap. 44. & 45.

Ioſeph. lib. 11. Antiqu. cap. 1.

Tu illa expende Dan. 9. v. 2. & 16. Hier. 30. v. 18.

African. lib. 5. de Tempor. & apud Hiero. in 9. ca. Daniel.

ſed prohibitos à vicinis in circuitu nationibus; quaſi hoc Rex non iuſſiſſet. *Nec differenter Euſebius, cuius pluſcula verba hiſce meis attexo.* Porro à Cyro primum reſponſum eſt, vt ædificaretur Hieruſalem, nec tamen ipſum opus effectum eſt, cum id vicini vndique prohibuerint. *Mox ſubdit; ſeptuaginta hebdomadum caput à ſexto Darij Hyſdaſpis anno arceſſendum.* In quo omnis *concludit* illa Ieruſalem ædificatio abſoluta eſt. *At enim quod abſolutam eo dixit anno vrbem, hyperbole eſt nota Rhetoribus, ſed à nobis freno inferius coërcenda. Cautius proinde Baſilius Seleucienſis ita.* Cyrus ſoluit captiuitatem Iudæorum, iuſſitque ipſos ædificare Hieruſalem. *His non vna opitulatur ratio: Cyrus ſiquidem quando Iudæos ſeruitute liberos in Patriam dimiſit, non vtique ad agros, ſed ad vrbem illos incolendam, atque adeo ad reparandas ædes, quemque ſuas Plateaſque vrbis reparandas ablegauit. Et quoniam arbitro ac teſte Gregorio;* Ædificat interdum allegoria fidem; *Cyrum qui figura erat expreſſa & typus Chriſti, equidem decebat quam quod maximè, vt quo modo Chriſtus Mundi Dominus, cæleſtis Hieruſalem* impleuit ruinas; *non aliter ipſe Monarcha orbis, terreſtrem inſtauraret. Nec illa Cuthæorum aliò ſpectabat expoſtulatio, nec Cambyſis interdictum; quam vt Iudæi ciuitatem & muros eius ac templum ædificare ne pergerent; etiam poſt elapſos deſolationis Hieruſalem ſeptuaginta annos.*

Euſebius lib.8. demonſt. dem. 2.

Baſilius Seleu. in Apodixi contra Iudæos.

S. Gregor. libr. 20. al. c.1.

1. Eſdræ 4. v.7. 12. & ſequ. lib.3. Eſd. ca.2. v.18. & 28.

2. *Conceſſa iterum eſt hæc in Iudæam remeandi facultas, Templumque denuò & Vrbem conſtruendi altero Darij Hyſdaſpis anno. Fidem faciet Eſdras, modo ne perfunctoriè legatur lib.1. cap.4. 5. & 6. Clarius eadem extulit liber 3. cap.3. v 43. & deinceps. Quo loco Darius iſte in natali Regni ſui die, votum nuncupaſſe fertur Numini, reædificandæ Vrbis ac Templi. Unde & inædificaſſe ciuitatem Hieruſalem ac Templum, annuaſque ibidem dicitur diſtribuiſſe penſiones in fabricam tam Vrbis quam Templi, cuſtodeſque ciuitatis.* Benedixerunt *ea propter* omnes Iudæi Deum Patrum ſuorum, quoniam dedit illis remiſſionem & refrigerium, vt aſcenderent & ædificarent Hieruſalem & Templum. *Quicquamne dici illuſtrius potuit aut liquidioris veritatis? Succinit dein Ioſephus; Iudæos metu anxios ne forte Darium edicti pæniteret ſui, quo reparari Hieroſolyma iuſſerat; Aggæum & Zachariam Prophetas, ad opus omnes animaſſe; Darium præterea hac ipſa ex cauſa Zorobabelem in Iudæam legaſſe, vt tam*

V.48. & deinceps.

Ibidem v. 62. & 63.

Ioſephus lib. 5. Antiq cap.4. & 5.

Templum quam Vrbem inſtauraret; inſuper & hoc præcepti contermi-nis dediſſe populis, vt Vrbis inſtaurationem certatim ope, opibuſque ad-iutarent: Cuſtodibus denique Vrbis certa in ſtipendium latifundia elargitum. Ex quo illa opinio caput ſuſtulit; quia Clemens Alexand. Tertullianus, Cyrillus Hieroſolymita. Euſebius, & pauci quidam ini-tium hebdomadarum in iſta Darij tempora coniecerint: ſub quo & ædificatam fuiſſe Vrbem, extenſumque vt voce vtar Prophetæ perpen-diculum ſupra Hieruſalem, neutiquam trepide pronunciant. Porro Clemens Alexand. Zorobabelem ait, nec temere ſapientia ſua emiſſe à Dario Hyſdaſpis reſtaurationem Vrbis. Sed vt in copioſa ſegete quan-doque ſua ſponte triſtes auena, & infælix internaſcitur lolium; ita ve-ris hiſce falſa iſti compluſcula permiſcent, recidenda falce ſed in tem-pore. Veritatis autem illa genuina eſt indoles, vt iſtorum inſtar amni-um, quos per ſalſas ferunt vndas fluere, nec niſi dulces aquas trahere, à falſitate integra nullum ſugat ab errore contagium. Tertia captiuita-tis reductio Duce Eſdra ſub Artaxerxe contigit Rege, anno regni eius ſeptimo; quando præter ingentes opes, omnem quoque petitionem cor-dis eius Rex illi eſt elargitus. Ecquid autem magis eſſe in optatis potuit viro ſecundum cor Dei, quam vt quicquid ad Templi & Vrbis adhuc deerat fabricam confeſtim expleretur? Præcipuè verò cum ante in-ſtauratas perfectè Vrbis Templique ruinas, exordium ſeptuaginta heb-domadum figi non poſſet. Inde eſt vt, quoniam vera vbique veris coaleſcunt, Euſebius, Iulius Africanus, Hebræi, Theodoretus, & Gloſſa ordinaria, non ſolum Nehemiam, ſed & Eſdram, & Ieſum Pontificem atque Zorobabelem in extruenda Vrbe Hieroſymorum gnaram nauaſ-ſe operam aſſeuerent. Adſtipulatur his pariter Hieronymus. Eſdras *inquit* & Nehemias inſtaurant Templum, muros extruunt ciuita-tis. *Nec illa anceps eſt vel de nihilo coniectura, quam nobis facit Ne-hemias: qui miſſus in Palæſtinam cum muros obequitaret allocutus eſt Magiſtratus, Sacerdotes & Optimates reliquoſque qui faciebant opus: haud dubie Vrbis, cui ille extremam manum, coronidemque im-poſuit.*

Clemens Alex. lib. 1. ſtromat. Tertul. lib. cōt. Iudæos. Cyril. Hieroſ. catech. 12. Euſeb. in Chron. & li 8. demonſt. ca. 2. Zacha. 1. v. 16.

1. Eſdræ, . v. 7.

Euſeb. libro 8. demonſt. ca. 2. Iul. Africa. & Hebræi apud Hieron. cap. 9. Dan. Theodo. & gloſſa ibid. S. Hiero. epiſt. ad Paulinum. 2. Eſdr. 2. v. 16.

3. *Poſtremò itaque quicquid ad fabricam Templi deerat & Vr-bis, Nehemias id omne perfecit. Eius hæc eſt ad Artaxerxem longima-num apud Ioſephum ſupplex poſtulatio.* Oro hanc vnam gratiam mihi concede: Permitte mihi vt profectus Hieroſolymam muros eius

Ioſeph. libr. 11. cap. 5.

eius extruam, & quod deeſt ad fabricam Templi ſuppleam. Rex
vero petitioni eius annuit. *Subijcit deinde appendicem, quam ego
vicem oraculi accipio: dum ab exordio regni Xerxis XXV. perueniſſe
illum ſcribit anno Hieroſolymam & dedicationem, ſeu Encænia anno
XXVIII. celebraſſe. Sed quæ temporis ſunt, ea ſeparatim mox exe-
quemur. Ad res Templi quod ſpectat, ex ſacra Machabæorum liquet* *2. Mac. 2. v. 2.*
& lucet hiſtoria, Nehemiam ædificato Templo obtuliſſe ſacrificium *& l. 2. c. 1. v. 18.*
dedicationis & conſummationis Templi: *quo die cælitus ignem ac-
cepit 25. menſis Caſleu. Ex qua rimula, lux magna, affulget tenebrico-
ſo ſcripturæ loco.* Et ædificauerunt & conſtruxerunt iubente Deo *1. Eſdr. 6. v. 14.*
Iſrael, & iubente Cyro, & Dario, & Artaxerxe Regibus Perſarum.
*Sub hoc quippe ternione tam Ædis quam Vrbis fabricæ faſtigium im-
poſitum eſt, atque in priſtinum reſtituta ſplendorem, Reſpublica He-* *Ibidem.*
bræorum. Quod porro ibidem ſubditur loci; Et compleuerunt do-
mum Dei iſtam, vſque ad diem tertium menſis Adar, qui eſt annus
ſextus regni Darij Regis, *non ad omnimodam Ædis, conſummatio-
nem, quæ primum ſub Artaxerxe Longimano eſt facta; ſed cum re-
ſtrictione & epitaſi* ad domum Dei iſtam *cuiuſmodicunque, quæ ſexto
Darij euenit anno, eſt referenda. Hinc ſacræ literæ eam vni Nehemiæ* *Eccleſ. 49.*
conferunt laudem, quod Templum omnimodè compleuerit, euerſos ci-
uitatis Muros erexerit, portas eius & ſeras ſtare fecerit, domoſque *Sulpic. l. 2. Ly-*
excitârit. *Ex his conſpicuum eſt & in aperto, quam ratio ſit, non libi-* *ran. 1. Eſdr. 5.*
do diſſentiendi, Seuero Sulpitio, Lyrano, Ioanni Lucido cæteriſq; non- *& 6. Lucidus*
nullis, qui antequam Nehemias anno Artaxerxis XX. miſſus eſt Hie- *lib. 7, Chronici.*
roſolymam, negant ab Rege vllo Perſarum conſtruendæ Vrbis factam *Barrad libr. 3.*
aliquando poteſtatem. Idem vna mecum ex ijs qui ſuperant Neote- *Concord. ca 5.*
ricis, & ſenſit, & ſcripſit Sebaſtianus Barradius noſter. Tametſi non *Salmeron. to. 1.*
me præterit, his ex aduerſo tradita à viris vſquequaque doctiſſimis, Sal- *proleg. 43.*
merone, Suario, & Pererio itidem noſtris. Tot itaque fretus argumen- *Suar. to. 1. in 3.*
tis non ambitioſè vel inaniter pronuncio, ſeptuaginta hebdomadarum *p. diſp. 1. ſect. 2.*
riuulos non ad edictum Regis Perſarum de reædificanda Vrbe, tãquam *Perer. libr. 10.*
ad fontem ducendos & caput; ſed quod non animaduerſum multis *in Daniel.*
fraudi fuit, ab ædificata plenè & dedicata Hieroſolyma, anno quem a- *Ioſeph. libr. 11.*
cer ſcriptor, & græcus Liuius Ioſephus ſignate prodidit XXVIII. ab *Antiqu. cap. 5.*
exordio Regni Xerxis. Præclarè proinde Tertullianus: Malo te ad *Tertull. cap. 3.*
ſenſum rei, quam ad ſonum vocabuli exerceas. *Quare vt alterum* *cõt. Praxeam.*

illum

illum Danielis verba ſenſum permitterent, cum cætera tamen tum hiſtoriæ veritas, & calculus ferientibus æthera vocibus reclamant; palamque oſtendunt hanc poſſe vnicam eſſe mentem Prophetæ; quâ non ab initio, ſed ab exitu, & fine ædificationis & reductionis Ieruſalem, hebdomadæ iſtæ veniunt ſupputandæ. Et hæc mea de Danielis mente mens eſt: à qua ne in pilo diſcordat calculus, eademque & hebræa vox Mitza, & græca ἔξοδος, & latina exitus, tantum non iniecta manu expoſcunt.

4. *Ad calcem huius annotamenti iudicium Dei noſtri conſideremus, atque in ſecretiſſima diuini numinis prouidentia ad pondus, numerum ac menſuram ex omni æuo cuncta diſponentis pauliſper hic conquieſcamus. Idem quippe temporis per omnia ſeruauit Deus interuallum, diem inter dati ignis ſub Nehemia & illum deſcenſus ſpiritus ſancti ad Apoſtolos in imagine ignis; quod à die olim dati ignis Moyſi, ad diem vſque excurrit dati ignis Salomoni. Vtrobique enim in dimidio ſeptuageſimæ hebdomadæ, ſeu poſt interſtitium 487. annorum cæleſtis hic ignis Mundum flammauit. Et quidem exactiſſimè ſurgit hic numerus, à die dati ignis Nehemiæ, quando obtulit ſacrificium dedicationis & conſummationis, tum Templi, tum Vrbis anno 28. ab exordio regni Xerxis, anno 4. 80. Olympiadis; vſque dum ſupremum Chriſtus in Cruce diem expleuit, promiſſumque dein ſpiritum ſanctum in filios adoptionis effudit anno 2. 202. Olympiadis. Tantundem porro interfluxiſſe annorum, diem inter eum quo Moyſi cælitus eſt donatus ignis, & diem quo Salomoni; manifeſtè oracula pandunt diuina.* *Siquidem* quadringenteſimo & octogeſimo anno egreſſionis filiorum Iſrael de terra Ægypti, in anno quarto (menſe Zio qui eſt ſecundus) regni Salomonis, ædificari cœpit domus Domini. In anno autem vndecimo Salomonis, menſe Bul (ipſe eſt menſis octauus) perfecta eſt domus in omni opere ſuo, & in vniuerſis vtenſilibus ſuis, ædificauitque eam annis ſeptem. In die porro dedicationis fundente Salomone preces, gloria Domini impleuit Templum & ignis cælitus illapſus abſumpſit holocauſta. *Nec numerus hic climactericus à caſu eſt, & ratione vacans aut myſterio. Etenim hoc illo tacitè innuebat ſpiritus ſanctus, quod poſtea Angelus exertè monſtrauit Danieli, Chriſtum in dimidio ſeptuageſimæ hebdomadæ renouaturum Ieruſalem, ac lege promulgata Euangelica, & ſpiri-*

3. Reg. 6. v. 2. — *Ibidem v. 37.* — *2. Paral. 7. ſub initium.*

ſpiritu ſancto in igne cœlitus miſſo dedicaturum Eccleſiam. Quapro-
pter ſtatus prioris Tabernaculi à Moyſe, vſque ad Salomonem, per an- Hebra. 9. v. 8.
nos 437. Parabola erat temporis inſtantis, quod pari intercapedine ab
igne Nehemiæ, ad ignem Chriſti excurrit, & ab Hieroſolyma readifi-
cata per Nehemiam, ad ſuſcitatum per Chriſtum Tabernaculum Da-
uid quod ceciderat. Quæ paria annorum interualla, quis trutina eſ-
ſe iuſtiora conſiderans, non protinus ſtupore attonitus vocem cum Re-
gio laxet vate. Sanctum eſt Templum tuum, mirabile in æquita- Pſalmo 64.
te. Dicite Deo quam terribilia ſunt opera tua Domine. Omnia in Pſalm. 103.
ſapientia feciſti. Venite & videte opera Dei terribilis in conſilijs Pſalm. 65.
ſupra filios hominum. Cumque iuxta Græcorum Parœmiam. Rem
factam etiam ſtultus intelligat; Quis in tam mirifica æqualitate,
non ilico impletum recognoſcat eloquium prophetale. Perpendicu- Zacha. 1. v. 16.
lum extendetur ſuper Ieruſalem. In ſacro feruntur Pindi vertice
pulcherrima reſidere Camœnæ, Muſarumque ſorores. Illæ hic ſunt; ar-
cana inquam myſteriorum apocalypſes. Sed tonantem ex alto audio
DEVM. Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctri- Deute. 33. v. 3.
na illius, & Odi prophanum vulgus & arceo. Quare Tollo ma-
num a Tabula, & pedem abduco a monte, quem quiſquis tetigerit, Exod. 19. v. 12.
ſiue iumentum fuerit, ſiue homo lapidibus obruetur. Illud emi-
nus, & clarè ante denuncio; hiſce dignitatem ſuam retinentibus, En- De quibus
cænia illa euangelica, nec Vrbis poſſe dedicationi ſubtrahi, nec Tem- Ioan. 10. v. 22.
pli. In quem pariter diem multa poſt ſæcula, tum Templi ſub Antio-
cho Epiphane recurrit prophanatio, quam eiuſdem triennio poſt puri-
ficatio, Altariſque Encæniſmus. Vt iure ſanè merito Iudas Macha-
bæus, quo tot tantiſque grauidum ſacramentis diem, ac futura porten-
dentem immortaliter commendaret, reuertente ſemper anno ſolenni
pompa, epulis, lætitijſque, & multa lampadarum collucentium flamma
cenſuerit honorandum. Vnde & dies luminum dictus, in memoriam Ioſeph. libr. 12.
dati cælitus ignis quondam Nehemiæ. Quare nec illorum damnanda Antiq. ca. 11.
iudicia, qui Encænia iſta ad quodcunque iſtorum ex tribus vnum retu-
lêre. Quiſque enim dum pro veritate nititur, dixit aliquid; non to- Notata mihi
tum ſinguli, ſed ex parte. Quare ad iſthæc pariter referri mauelim ſupra de hoc
omnia; quæ hic ſat eſt attigiſſe. nonnulla parte
2. Theſi 7.

VII.

Struximus huc vſque initia, & ſuperextruendæ moli ſtraui-

mus fundamenta: reliquum iam vt pars ea ſtrictim tangatur, quæ velut erigendo faſtigio ſeruit. Quod ſi itaque illa eſt id æui, quæ admodum rara temporum fælicitas; vt ſcribere quæ velis honeſta, & quæ ſentis dicere liceat: equidem nihil ambigam affirmare multis cauſam fuiſſe errori; quod duplex regni caput Longimano Artaxerxi minimè adſcripſerint; quodque decurſa à paucis Auctorum teſtimonia, quibus ille ſuperſtite etiamdum Xerxe Parente in partem fuiſſe curarum, & ſortem aſcitus regni comprobaretur. Vereor etiam vt fuerit nonnullis offendiculo, quod de extructo ciuitatis muro, cæleſti didicimus magiſterio. *Completus eſt murus 25. die menſis Elul quinquaginta duobus diebus.* Hoc quippe non ad integram Murorum ac Turrium, & ad Platearum Vrbis, ædificiorumque ſpectare reparationem palam iam facio; ſed ad exteriorem duntaxat partem mænium, quæ inſultum arcebat hoſtium: quamque Iudæi gladio accincti & baltheo (quò eſſent repugnando) exædificarunt; vna tenentes manu gladium ad pugnam, & alterâ trullam ad fabricam. Porro Flauius Ioſephus, qui ex Templi ſe ait tabularijs ſuas exſcripſiſſe origenes, cauſaſque hic mentiendi procul habuit, interiorem pariter, exterioremque mænium complexus partem, ipſoſque muros integros, iuncta præterea Platearum Vrbis, (quas in vaticinio ſignatè Angelus nominauit) Turriumque & propugnaculorum fabrica, conſimiliumq; appendicum paraſceuaſmatis, biennio integro quatuorque inſuper menſium ſpacio (eſt enim μῆνας δ' in græco codice) omnia hæc conſentaneè ad diuina dixit oracula, fuiſſe completa: Anno à primordio regni Xerxis 28. menſe nono, quando dedicatio Vrbis celebrata eſt. Quo ex capite nos fontem ducimus.

2. Eſdr. 6. v. 15. — *2. Eſdr. 4. v. 17.* — *Ioſephus libro 11. cap. 5.*

ANNOTATIO XXXII.

A rebus ipſis ſumentes teſtimonium, verba hic magni fas ſit vſurpare Athanaſij. Quiſquis volet accedat, faciatque ſe Arbitrum, Inſpectoremque, & non ex rebus in obſcuro latentibus, ſed ex claris euentis veritatem colligat, & videat quiſnam ſit Dominicæ mortis fructus, & quodnam Iudaicarum inſidiarũ emolumentum. *Principio diligenter conſiderandum; quod cum verba Oraculi numerum illum, quem dixi annorum ita determinatum ſignificent præciſumq;*

S. Athanaſ. in ſermone de Paſſione & Cruce Domini.

ſumque ac definitum; vt nec in minimo abundare poſſit vel deficere; tam aptè illi & ad libellam præfatus duodetriceſimus ab initio regni Xerxis annus, idemque Vrbis 297. in menſe nono reſpondeat; vt ſi vel ex condicto quiduis pro libito comminiſcendi daretur optio, hiſtoriæque veritatem anno ad arbitrium accommodandi, alius deligi poſſet nullus, vel excogitari conuenientior, vatique magis in expetendis. Quo haud ſcio quicquamne ſpiſſam illam perfidiæ Iudæorum nubem liquidiore poſſit ſpongia detergere. Quid enim ſtupendum magis, quam quod literalis ſcripturæ ſententia nulli non in prima verborum fronte obuia, tam mirifica conſpiret harmonia, cum exitu rerum, & temporum ordine in ſuis ipſorum Annalibus tot retro ſæculis, atque ante glorioſam Chriſti necem, in lucem editis conſignato? Vſqueadeo vt ſi quippiam illis detraxerint, ilico furti; ſin addiderint Plagij arguantur & adulterij: Quod ſi nihil horum, & tamen ne ſic claritudine perſtricti, veritati cedant vt credant, mox ab omnibus perfidiæ veniant condemnandi. Nec eſt vllo pacto veriſimile, vt Ioſephus qui & in hiſtoria fidus & in Chriſtum, Chriſtique religionem perfidus extitit Iudæus, annum iſtum quo exitum habuit, & conſummationem reædificatio Hieroſolymorum facta per Nehemiam mendaciter confinxerit. Neque enim ſi vel ſummopere vellet, poſſet; neque ſi maximè poſſet, vellet vnquam Ioſephus, anno ad perpendiculum illo effingere reconſtructam Hieroſolymam, eiuſque celebrata encænia; ex quo quam ipſe, tam gens cuncta Iudæorum manifeſto reuincerentur perfidiæ, ac tanquam Sampſonis maxilla proſtrati omnes, vel Herculis percuſſi claua, ſole meridiano clarius coarguerentur ſe Chriſtum crucifixiſſe Ieſum, Dominum gloriæ, verumque in lege & Prophetis promiſſum Meſſiam. Quemadmodum autem olim Magi primitiæ gentium, luce tametſi ſtellæ Meſſiam indicantis cælitus colluſtrati, locum tamen Natiuitatis ab incredulis didicère Iudæis: Ita nunc ex gentibus Chriſtiani, tametſi eloquijs inſtructi euangelicis, ac fide irradiati diuina, ſeptuaginta hebdomadarum caput & terminum, vel ſceptri de Iuda tranſlationem, veteriſque ac noui inſtrumenti concatenationem & harmoniam (vt iam de anno ortus, ac mortis Chriſti ſileam) ſine ope & auxilio Ioſephi, impij licet Iudæi nunquam conſequentur. Et poterat vtique Magos ſtella tam ad ipſam domum vbi erat Puer, quam ad regionem natiuitatis Chriſti perducere: attamen fulgorem ſuorum paulum ſub-

traxit radiorum: vt interrogati Scribæ & Phariſæi iuxta arcana ſcripturarũ oracula locum ipſi nominarent Natiuitatis. Nec aliter Euangeliſtæ qui Chriſtum natum ſcripsère in diebus Herodis, & quando exijt edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis, *potuiſſent pariter ipſi annum præciſe regni Herodis & Auguſti ac Conſulum deſignare; & nihil tamen horum Magiſter illorum Spiritus ſanctus fieri voluit: vt ex Iudæorum iſta codicibus condiſceremus. Quod hic de veteris & noui teſtamenti conſtructione, deque anno quo exitum ſortita eſt ædificatio Hieroſolymorum, alijſque de genere hoc dictum volo. Quæ in ſcrinijs recondi hebræorum voluit*, vt ex illis gentes inſtruerentur, & Iudæi excæcarentur; *ipſique inimici noſtri Iudices eſſent & teſtes, quod crucem in Dei filium conſciuerunt. Qui ſi hoc ipſum præuidiſſent, odio indubie faſcinati, & inuidia Chriſtianæ gloriæ, ſupprimere talia quam publicare maluiſſent: ne ſu ipſi cruribus aſciam illiderent. Quare non Iudæorum hoc eſſe opus fateri nos eſt neceſſe, ſed prouidentiæ Dei noſtri*; qui ſuſcitat teſtimonium in Iacob, & legem ponit in Iſrael: Teſtimonium in Ioſeph poſuit illud, ad confitendum nomini Domini. *Nec verebor ne quis dicam mihi indicat, ſi dixero ad Ioſephum adluſum ab Ezechiele.* Et relinquam ex eis viros paucos à gladio, & fame, & peſtilentia, vt enarrent omnia ſcelera eorum in gentibus: *& iuxta Apoſtolum,* vt omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis Mundus Deo. *Vnde ipſe Saluator*, Eſt *inquit* qui accuſet vos Moyſes, in quo vos ſperatis. *Illud mihi quoque vt animaduertat accuratè & annotet Lector velim; qui valuiſſet iſta vnquam fallaciter confingere, quæ tanta videmus manifeſtatione in Chriſti Paſſione veraciter completa? vel quâ ratione quæ de virginis filio præſagijt Daniel, ita prorſus vt in Chriſto diuinare Ioſephus voluiſſet. Caſu inquiat aliquis. Itane pares hoſce annorum numeros fortuitò concurriſſe quis credet? Quod quiſquis dixerit; næ ille vel Anaxagoræ atomis haud diſſimilia effutierit, vel nihilo minus abſurda quam quæ Empedoclæo expreſſa carmine exibilat Ariſtoteles*

August. ſermone 2. de Epiphania.

Pſalm. 77. v. 5.

Ezech. 12. v. 16

Rom. 3. v. 19.

Ioan. 5.

Sæpe alias aliter, ſed tunc ſis forte cucurrit.

Quaſi verò quicquam eſſe poſſit *(vt belle Tullius)* caſu factum, quod omnes in ſe habeat numeros veritatis? Quatuor tali iacti caſu Venereum efficiunt. Num etiam centum Venereos ſi quadrin-

M. Cicero in eo quem de diuinatione inſcripſit libro 1.

dringentos talos ieceris caſu futuros putas! Aſperſa temere pigmenta in Tabula, oris lineamenta effingere poſſunt. Num etiam Veneris Gnidiæ, Coæque pulchritudinem effingi poſſe aſperſione fortuita putas? *Et poſt.* Sic enim profecto res habet, vt nunquam perfectè veritatem caſus imitetur. Vice *tandem auctuarij attexit.* Quin etiam hoc non dubitans dixerim, ſi vnum aliquid ita ſit prædictum præſenſumque; vt cum euenerit ita cadat vt prædictum ſit, neq; in eo quicquã caſu & fortuitò factum eſſe appareat eſſe certe diuinationẽ, idque eſſet omnibus confitendum. *Nec diſſimiliter noſter Cicero Chriſtianus; cui & Auguſtinus ſubſcribit.* Tantumne *inquit* mens hominum à luce veritatis auerſa eſt, vt non ſentiat ſupergredi modum coniectationis? *Qui itaque veracem fuiſſe Danielis obnunciationem euentus, ac res comprobauit, idem aurеam illam Ioſephi Appendicem & veriſſimam eſſe commonſtrauit, & ad vaticinia percipiendum Prophetarum apprimè neceſſariam.* Quorum narrata tantò impudentius non credimus, quantò impleri certius prænunciata conſpicimus. *Id adeo argumenti tanti æſtimo, vt vel ſi ſolum eſſet, vnum eſſe poſſet pro omnibus: nec in animum vnquam venires meum, vt Ioſephum hic quaſi de compacto darem mentitum: tantum vt cum incuria imo iniuria ſuæ perfidiæ cymbalum eſſet ad noſtras aures.*

Lactant. lib. 1. de falſa Religione cap. 4.
S. Auguſ. li. 17. de Ciuita. c. 4.
Auguſt. lib. 15. de Ciuita. c. 9.

2. *Inter tot hic obſeruanda ſubit & illud, Ioſepho id eſſe moris, vt quaſdam narrationi ſcripturæ attexat periſtaſes in prima lectionis fronte aduerſas, propiore autem inſpectu & ſententiæ penetratu adeo conſentaneas, vt etiam lumina præbeant, nubeſque pellant. Quod vnico teſtimonio, ſed multum in rem noſtram appoſito ſatis oſtenditur. Etenim quæ ab Eſdra ſub Dario Hyſdaſpis completa ſcribitur Templi fabrica, & dedicatio habita anno ſexto, die tertio Adar; Ioſephus nono illam anno Darij abſolutam dedicatamque exſignat die 23. Adar menſis XII. Sic enim patens librarij emendandus error Iudice Heſter, quæ Adar non XI. ſed XII. ac poſtremum fuiſſe menſem edicit Iudæorum. Idemque diſerte ex Ioſepho ipſo ediſces. Sed apparentem hac ratione tolles antilogiam; ſi interius Templum illo ſexto Darij anno intelligas dedicatum; Templum vero exterius & Peribola anno primum nono. Litem hoc fœdere diribunt mecum S. Hieronymus in 9. cap. Danielis, Euſebius lib. 8. demonſtr. Euang. cap. 2. Baſilius Seleuc. in*

1. Eſdr. 6. v. 15. Ioſephus li. 11. Antiqu. cap. 4.
Heſter 3. & 8 Ioſephus li. 11. cap. 6.

Salmeron to.1. proleg. 43. Perer.libr.11. in Dan.q.3. Tolet. Annot. 25. in cap.2.Ioan. Ribera lib. 1. de Templo ca. 26. Maldonat. in cap.2. Ioan. v.20.

Apodixi contra Iudæos, Beda ad cap.7.lib.1.Eſdræ. Ibidem ad cap. 6. Lyranus, & ex noſtris Alfonſus Salmeron, Benedictus Pererius, Franciſcus Toletus, Ribera & Maldonatus. Satiſque id mihi verba adſignificant Ioſephi lib.13.cap.4. Ædificauerant Iudæi Porticus quoque quibus Templum circumquaque includebatur. *Sicut itaque poſt conſummatum vtcunque ac dedicatum anno 6. Darij Templum, tres alios attribuere opus eſt annos peribolis Templi & circumpoſitis munitionum conſtructionibus, quod omnino tacuit ſcriptura & abſque Ioſepho neſciremus: Ita poſt illam mœniorum vrbis conſummationem, quam 52. ſpacio dierum diuina peractam literæ eloquuntur, tres plus minus alios ex eadem Ioſephi, quam ſacra confirmat hiſtoria oportet adijcere. Nam ſicuti annos tres ad totam Templi attinentes fabricam Eſdras ſubticuit; Ita totidem Nehemias integræ Vrbis inſtaurationi impenſos: Et quemadmodum Eſdras ſatis habuit primam ſecundi Templi memoraſſe dedicationem. Ita Nehemias primam murorum Vrbis inſtaurationem; quando opifices accincti faciebant opus; ſcutaq; in promptu erant & Tibicines quingentorum interuallo paſſuum: vt ſicubi ſe hoſtes aperuiſſent, ſigna canerent, arreptiſque armis certatim omnes reſiſterent. Quæ præclara Ioſephi teſtificatio quò ſplendidius eniteſcat, lucem illi confert Nehemias.*

2.Eſdr. 4.v.6.

Ædificauimus *inquit* murum & coniunximus totum vſque ad partem dimidiam.

Ibid. c.6.v.15.

Quod opus completum diebus fertur quinquaginta duobus, die 25. ſexti menſis. Inſtauratis hunc in modum ante omnibus, quæ in Vrbis mœnibus fuerant interrupta, completoque muro ita vt non eſſet in ipſo reſidua interruptio, *viam dans hoſtibus ad impediendum opus; ad reliquam demum Vrbis itum eſt reparationem. Id ex ipſo hauries Nehemia qui repletus ſpiritu ſapientiæ & intellectus ait.*

Ibid. ca.6.v.1.

Ibid.ca.7.v.1. & 4.

Poſtquam ædificatus eſt murus, & poſui valuas, &c. Ciuitas erat lata nimis & grandis, & Populus paruus in medio eius, & non erant domus ædificatæ. *Quæ in re ſolerter aduertendum, nondum inædificatis domibus, atque adeo nec Plateis quas conſtituunt domus, capitalem iſtum annum à quo 70. hebdomadum fontem ducimus, in expectatione etiamdum fuiſſe. Siquidem eò nos Angeli trahunt verba; quæ ita nos ab ædificata Hieroſolyma ſubducere iubent calculum; vt prius murum & Plateas velint eſſe reparatas.* Et rurſum ædificabitur Platea, & muri in anguſtia temporum: *vel vt ex hebræo verti poteſt*; Redibit & reſtaurabitur

Dani.9.v.25.

bitur

Digitized by Google

bitur cum platea & foſſa: *quæ nempe circundabit muros. Conſonat* *Eccle.49.v.15.*
his quoque pulcherrimum Nehemiæ elogium. Qui erexit domos no-
ſtras. *In quibus ſcripturæ verbis*, neque ſyllaba ineſt vna, neque api-
culus in cuius profundo *(vt hoc cum Chryſoſtomo dicam)* non ſit *Chryſoſt. hom.*
grandis theſaurus. *Huc refer ſumptus quos poſt extructum murum* *21. in Geneſin.*
Principes familiarum in commune contulêre ærarium, ad opus Vrbis *Id apud Ne-*
perficiendum. Quin & Nehemias cum in tam vaſta Vrbe raram Po- *hemiam patet*
puli notaret frequentiam, è vicinis vndique locis Sacerdotes coëgit & *cap.7. v.70.*
Leuitas, quibus vt in Vrbem commigrarent, eamque incolerent perſua- *Auctor Ioſeph.*
ſit. Poſt quæ tandem omnia dedicatio Muri Hieruſalem ſolenni per- *lib.11.cap.5.*
acta eſt ritu in Cymbalis, Pſalterijs, Cytharis, ac gratiarum actione: *Ipſeque Nehe-*
mundatique Sacerdotes, Leuitæ, & Populus, Portæque Vrbis, & Muri. *mias ca.11.v.1.*
Adi Nehemiam cap 12. v.27. & 29. Quæ ille cum poſt ædificatas
circum circa villas facta, poſtque excitatas Vrbis Turres, & quam plu-
rimas constructas percenſeat portas, indicio ſunt Vrbis dedicationem
& operas haud quaquam 52. ſpacio dierum fuiſſe conſummatam.
Id etiam aduerſum Bedæ cuius hic ſubſero verba. Iamdudum ædifi- *Beda lib.3 ex-*
cata erat ciuitas, ſed nōdum decebat eam dedicari *Enucleatius ve-* *poſition. in Eſ-*
ro Gloſſa. Non decebat ciuitatem dedicari priuſquam habitatori- *dram cap.33.*
bus aggregati Miniſtri, Templo idonei & Portis ac Veſtibulis cu- *Gloſſa ordina-*
ſtodes eſſent deputati. *Hocque etiam ex eo coniecto; quod nec He-* *ria ibidem.*
rodes dedicationem ſui exhibuit Templi, ſimul ac octennali impenſa ex- *Auctor Ioſeph.*
teriorem compleuit ædem; verùm ſeſquiennio poſt: quando interioris *lib.15. cap. 14.*
Templi tum fabricæ, tum ornatui extrema demum addita eſt manus.
Quapropter eo paret ordine Vrbem inſtauratam Nehemiæ: primum
vt quæ in mœnibus fuêre interrupta clauderet: hocque 52. interuallo
dierum valenter perfecto, plateas Vrbis ac domos, Turreſque & Portas
Hieruſalem in integrum reſtituit, tandemque interiora ciuitatis mœnia
incruſtauit ſolidauitque. Quod ne ex meis ſuxiſſe me digitis Lector
ſuſpicêre, cedo verba Nehemiæ. Ædificauimus Murum & coniunxi- *2.Eſdr.4. v.6.*
mus totum vſque ad partem dimidiam; completumque eſt hoc o-
pus 25. menſis Elul 52. diebus. *In Encenijs multò poſt Vrbis, Tem-*
pliq; dedicatione, Immolauerunt victimas magnas & lætati ſunt. *2.Eſd.12.v.43*
Deus enim lætificauerat eos lætitia magna. Sed & Vxores eorum
& liberi gauiſi ſunt, & audita eſt lætitia Hieruſalem procul. *Aſt*
quam procul & quæ inexplicabiliter magnæ cauſa lætitiæ? ſtrictim &
eminus

Digitized by Google

2.Mach.2.v.5 *eminus alia id ediſſerit ſcriptura.* Nehemias etenim magnificè ſapientiam tractabat, & vt ſapientiam habens obtulit ſacrificium dedicationis & conſummationis Templi. Sicut & Moyſes orabat ad Dominum, & deſcendit ignis de cœlo, & conſumpſit holocau-
Ibid.c.1. v. 30. ſtum. *Et rurſus.* Sacerdotes autem pſallebant hymnos vſquequo conſumptum eſſet ſacrificium. Cum autem conſumptum eſſet ſacrificium, ex reſidua aqua Nehemias iuſſit lapides maiores perfundi. Quod vt factum eſt, ex eis flamma accenſa eſt, ſed ex lumine quod refulſit ab altari conſumpta eſt Vt verò manifeſtata eſt res, renunciatum eſt Regi Perſarum: *qui magnitudine perſtrictus miraculi, & digitum hic agnoſcens Dei cum Templum, tum Sacerdotes ingentibus auxit donarijs Id verò prodigij, menſe eueniſſe nono, conſentaneè ad Ioſephum Nehemias, qui hæc oculis colluſtrauit omnia,*
2.Eſdra 12. ver.44. *certus auctor eſt.* Et cuſtodierunt obſeruationem Dei & obſeruationem expiationis. *Quò iterum in calle ſuo tenebras appoſuit, cuius*
Pſalm.138. ſicut tenebræ ita & lumen eſt eius: *ſed ſtrictura lucis occaſum Solis indicans iuſtitiæ, & ignei Spiritus ſancti deſcenſum, nobis ex 2. Machab. affulget libro, verbis affatim recitatis ante explicatiſque, quibus iſtæc quinta & viceſima die menſis Caſleu exſignata habentur. Indigitat vero hunc diem ſcriptura* expiationis & ſcenopegiæ *eo quod*
3.Reg.8. v.12. *conſimili ritu feſtiuitas vtraque ederetur. Quo paret non temerè præ-*
2.Paral.6.v.1. *dixiſſe DEVM*, habitaturum ſe in caligine & nebula, *quippe qui tot obſcuris ænigmatum inuolucris diem menſem & annum, quo 70. hebdomadum figendum erat caput, quaſi quiddam (quale eſt verè) ſacroſanctum velauit arcteq; cuſtodiuit: ne annus menſis & dies patienti Chriſto optimo maximo ſacer immaturè præſentiretur. Vt autem eſſent vnde poſt euentum aperirentur clauſa, & illuſtrarentur obſcura, aperta paſſim & manifeſta extare Deus iſta, quæ pauca poſui veſtigia voluit.*

Iſaiæ 5. v. 10. 3. *Quo verò iuxta Iſaiæ vaticinium, oriatur in tenebris lux Chriſti, & ſint tenebræ eius ſicut meridies, addam Ioſepho ſubſcriptores. Et*
Baſilius Seleucienſis in Apodixi cont. Iud. *quidem nemo vnus quem legerim præter Baſilium Seleucienſem ab anno hoc duodetriceſimo, poſt exordium regni Xerxis initium diſertè & conciſè deduxit hebdomadum. Quanquam quod Cedrenus & alij di-*
Cedrenus in compendio. *cunt tantundem valet. Aiunt enim ab octauo anno Artaxerxis Longimani (qui hic ipſe eſt 28. à primordio regni Xerxis) ordiendam telam.*

Digitized by Google

Iam. Quare etſi diuersâ via in eoſdem tamen circulos, idemque compitum recurrunt & computum: quos hactenus laudo. Sed hoc illis culpæ fuit, quod vel plana & compendiaria per olympiades deſerta ſemita, deuium & ſalebroſum per ſingulorum annos Regum iter ſint ingreſſi, vel ab Eſdræ miſſione hebdomadas enumerarint, quas oportebat magis à Nehemiæ. Cum verò annum hunc miſſionis Nehemiæ Ioſephi prodant Annales fuiſſe XXV. ab exordio regni Xerxis, & ſacræ tamen ſcripturæ Regiſtra eundem inſcribant XX. Artaxerxis Longimani; agedum diribitores interueniant, qui ſtabili iſto vincientes fœdere, Longimanum multis cum Parente annis regno potitum euincant. Neque enim hiſce caſſibus nos aliter explicare, atque è ceratinis & crocodilinis ambiguitatibus poterimus euoluere. Igitur Themiſtocles inclytus Athenienſium Dux, cum a ſuis eſſet ingratis ciuibus capitis condemnatus, in Aſiam profugit, atque ad Artaxerxem Longimanum Xerxis filium iam tum regni Perſarum gubernacula moderantem, velut ad Aſylum venit. Cuius quidem rei indubius mihi Thucydides eſt teſtis: de quo intrepidè affirmat Athenæus, pro ſigno illum & paradigmate nobis propoſitum cui credamus; adeo vt quæ illius aduerſantur hiſtoriæ, ijs fidem adhibendam omnino neget. Vnde ex alto illius de Socrate ſilentio inferre nihil addubitat, falſa eſſe & quæ Plato, & quæ Antiſthenes Socraticus gratificandi ſtudio de militia Socratis in literas coniecêre. Plutarchus quoque Thucydidem in perſcribenda teſtatur hiſtoria, annales potiſſimum fuiſſe ſecutum. Quem & cæteris longè anteferendum hiſtoricis voce accedit Quintilianus, ſuffragium à M. Tullio ante mutuatus. Et quoniam in hoc ſumma totius rei & litis cardo verſatur, complures Thucydidi teſtes excitabo: Imprimis Charontem Lampſacenum adnotante hoc ipſum de illo ſuperius Plutarcho; Ciceronem præterea & Æmilium Probum. His adſtipulantur Philoſtratus in vita Apollonij Tianæi, Suidas in Themiſtocle, Gerardus Mercator in ſua Chronologiæ anteloquio, Carolus item Sigonius qui tam fugam quam mortem Themiſtoclis ſignauit anno ſecundo 77. olympiadis, qui cum decimo quinto anno regni Xerxis in eadem comparatur Synoride. Quæ eadem valentiſſimè firmat Cicero, quando Themiſtoclem in exilio mortem ſibi narrat conſciuiſſe vicenis poſt mortem Marci Coriolani annis. Atqui Liuio & Halycarnaſſæo atque Plutarcho teſtibus, Coriolani obitus ſub annum fere primum 73. olympiadis euenit, Sp.

Thucyd. libr. 1. belli Peloponeſiaci.
Athenæus li. 5.
Plutarchus in Themiſtocle.
Quint. libr. 10. cap. 1.
Cic. in Bruto.
M. Tul. lib. 10. epiſt. ad Atticum, epiſt. 6.
Probus in vita Themiſtoclis.
Philoſtratus lib. 1. cap. 19.
Sigon. in tempor. Athenienſ.
Cicero in li. de Amicitia & rurſus in Bruto. Liuius li. 2.
Halycarn. li. 8.
Plutarch. in vita Coriolani.

Nautio Rutilo & Sex. Fur. Medul. Fuſio Coſſ. Quo ab anno ad 77. vſque olympiadem incluſiuè, quam ſignatore Diodoro Themiſtoclis nobilitauit interitus, viginti prorſus excurrêre anni. Eandem venit in viam Euſebius, qui Themiſtoclis ad Perſas fugam ad annum Xerxis XIII. adnotauit; atque adeò nouennio citius quam ab exceſſu parentis Monarcha fieret Longimanus. S. quoque Hieronymus regnante Xerxe interiſſe Themiſtoclem ſcribit. Denique Ephorus, Dimon, Clytarchus & Heraclides apud Plutarchum, Strabo lib. 14. & Diodorus ac S. Antoninus Themiſtoclis fugam regnante Xerxe memorant contigiſſe. Quæ tot taliumque ſcriptorum irrefutabilis auctoritas, apertè & palam conuincit, Artaxerxem vna cum parente ſuo haud paucis ſimul annis imperitaſſe. Quippe alias neque ad Xerxem & regnantem iam tum Artaxerxem Longimanum perfugere, neque ſuperſtite Xerxe Themiſtocles hauſto Tauri ſanguine perire potuiſſet. Quod tamen memoratis proditum eſt Auctoribus. Nec minores habet neruos, quod Athenæus minimè dubitanter aſſeuerat, Themiſtoclem in illa ſua ad Perſas fuga, more patrio Artaxerxem fuiſſe veneratum, atque à Perſarum Rege Lampſacum dono accepiſſe; Timagoramque poſt æmulatione Themiſtoclis ad Artaxerxem Perſarum Regem fuiſſe profectum, eundemque adoraſſe. Sed eo nihil illuſtrius, quod ex morte Periclis inſtitui poteſt argumento. Etenim Pericles totos 40. annos primas Athenis partes obiuit poſt Themiſtoclis exilium. Atqui is ipſe Pericles ſecundo belli Peloponeſiaci anno ſub mediam æſtatem amotus eſt magiſtratu, mortuuſque anno quarto Belli Peloponeſiaci, poſteaquam duos cum ſemiſſe annos in ordinem fuiſſet adactus. Quod liquidæ eſſe veritatis, Thucididis ſcriptoris clariſſimi ac Pericli συγχρόνου teſtimonio fit palam. Cui & Diodorum copulo adſtipulatorem, qui Periclem motum notat magiſtratu anno 3. mortuum porro 4. 87. Olympiadis; Præfecto Athenis Epaminone. Sic enim cum Athenæo ſcripſerim, pro Epaminonda. Nec aliud ipſi viſum Athenæo, quando Pericli clauſos ſignauit oculos, anno tertio Belli Peloponeſiaci Archonte Epaminone. Quæ ad Lydium admota lapidem, Periclem monſtrant vita ceſſiſſe Cyclo Lunæ XI. eundemque ad gubernacula ſediſſe primum Athenis Cyclo Lunæ VII. qui cum 2. pariter & 3. currit 77. olympiadis anno, & Vrbis 283. & 284. Xerxiano autem 15. & 16. Quare cum non ante ablegatum Athenis Themiſtoclem, ad Reipubl. habe-

Diodor. Sicul. lib. 11.
Euſeb. in Chronico.
Hieron. initio cap. 11. Daniel.
Plutarch. & Diodor. locis indicatis.
Antonin. 1. pa. hiſt. tit. 4. ca. 1. §. 14.
Athenæus li. 2.
Auctor Plutarch. in vita Periclis.
Diodorus Siculus lib. 12.
Athenæus li. 5.

habenas conſederit Pericles, par eſt affirmare regnante Xerxe cum Longimano filio Themiſtocleam eueniſſe fugam. Eodem refero quod ex Steſimbroto Plutarchus; Themiſtoclem quando Perſicam iniji fugam, ad Hieronem Siciliæ Regem adiiſſe: Quem & regnante etiamdum Xerxe fratri ſucceſſiſſe Geloni, poſtq; denos vndenoſue Tyrannidis annos, Thraſibulum habuiſſe ſuccedaneum ſuperſtite tum adhuc Xerxe Diodorus auctor eſt; itidemque ſuffragatores Ariſtoteles & Pauſanias. Quos pariter ex Theophraſto Plutarchus dixiſſe verum eo declarat, quo in ludis olympicis Themiſtoclem Græcis narrat perſuaſiſſe, vt Hieronis diſiicerent Tabernaculum. Atquin alio quam regnante Xerxe contingere nihil horum potuit. Siquidem Hieron tertio primum anno 75. olympiadis tyrannidem Siciliæ inuaſit, anniſque vndecim præterq; menſibus octo tenuit enarratore Diodoro. Concordant deinde quæ ex Phania & Eratoſthene recitat Plutarchus, Themiſtocli ope ac opera Artabani Præfecti Militiæ ad Regem Perſarum patuiſſe congreſſum. Porro Artabanus hic (niſi me meum fallat augurium) alius ab illo non eſt qui & Xerxem interemit, & ab vlciſcente patris cædem Artaxerxe fuit protinus trucidatus. Quæ eò vergunt omnia vt quod tantopere pertendimus, Themiſtoclis exilium regnante Xerxe pariter cum filio Artaxerxe contigiſſe euincamus. Quod ne timidiuſcule credatur, fidem poſtremò roborat Herodotus, qui id æui vixit & ſcripſit. Is verò vti rem apprimè atteſtatam, atque à Regibus Perſarum inuiolabiliter ſeruatam commemorat, morem hunc fuiſſe Perſarum Regibus, vt plenam aleæ extra Perſidem ſuſcepturi expeditionem, Regni aliquem ſibi quiſque declararent ſucceſſorem: Nequa abſentibus vel repente mortuis in regno perturbatio enaſceretur. Quod cauſa eſt, quare in annis interdum Regum Perſarum, tantum inter ſcriptores aliò atque aliò ex capite arceſſentes imperia ſit reperire diſſidium. Nec aliud ſuſpicari eſt, quam hoc Xerxem ſuo legitimo feciſſe filio Artaxerxi, quod & ipſi ante fecerat Parens, & poſt Artaxerxes Dario Notho, & quē ex Pellice ſuſceperat filio: Hunc quippe ex Philoſtrato promptum eſt diſcere, diu multumque cum Parente clauum regni tenuiſſe. Quare cum mos hic & lex viguerit Perſarum; ecquis addubitet Xerxem in ancipiti illa contra Græciam dimicatione vnum ſibi aliquem ſuccedaneum, vel plures delegiſſe filiorum. Vnde qui Eſdram legauit in Iudæam, non pro ſe tantum regnoque ſuo, ſed & pro regno pariter filiorum comprecа-

Plutarchus in Themiſtocle.

Diodorus l.11.
Ariſtot. lib. 5. Politic. ca. 12.
Pauſanias l. 6. Eliacorum.
Diodorus Siculus lib. 11.

Herodot. lib. 1. & rurſus initio 7.

Philoſtrat. in Vita Apollonij Tyanæi.

1. Eſdr. 7. v. 23. & lib. 3. cap. 8. v. 23.

Digitized by Google

precari cœli numen poſtulauit. Quem Regem fuiſſe Xerxem, præter *Ioſephus li. 11. cap. 5.* *Ioſephum, ætas ac ſtemma Eſdræ, ſcripturæque contextus & (de quibus iam nihil) argumenta comprobant multa. Non eo tamen inficias, regnaſſe iam tum Artaxerxem, quando in Iudæam miſſus eſt Eſdras; ſed illud iure poſtulo vna cum Xerxe regnaſſe itidem Artaxerxem: Quare hoc pacis oſculo Ioſephum, Africanum, Euſebium, Hieronymum, Auguſtinum, Chryſoſtomum, Theodoretum, Bedam, cæteroſque confœdero: quorum pars altera Xerxis regno, pars magna Artaxerxis tranſcribunt imperio, Eſdræ legationem. Verum de his ſint iſta nunc quæ annotauimus ſatis. Nam vt cætera hic ad viuum reſecemus omnia, neque propoſiti eſt noſtri, neque ratio ſinit inſtituti.*

VIII.

Anno igitur quintodecimo Tribunic. Poteſt. atque adeo Imperij Tiberij Cæſaris quando venit plenitudo temporis, apparuit benignitas & humanitas Saluatoris noſtri magni Dei erudiens nos & prædicans regnum Dei. At enim quoniam Iudice Augu- *Auguſtinus epiſt. 88.* ſtino; *Qui dicit intra tot annos erit, tunc falſum dicit ſi vltra erit*; ab omni falſi crimine aſſerimus Angelum: dum alba (quod aiunt) amuſſi in medio ſeptuageſimæ hebdomadæ, anno labente 487. reconſtructæ Vrbis Hieroſolymorum, Chriſtum Opt: Max: per Crucem ponimus interclusam æternitatis viam nobis aperuiſſe 76. anno Iuliano qui omnem Prophetiæ explet numerum: baptizatum porro initio 484. poſt excurſas protinus ſexaginta nouem Danielis hebdomadas. Quo adeo intelligi licet, quamobrem *aperiens in parabilis os ſuum & loquens propoſitiones ab initio*, Magiſter ſapientiæ Euangelicam tali procemio ſit auſpicatus doctrinam. *Quoniam impletum eſt tempus & appropinquauit Regnum Dei.* *Mar. 1. v. 15.* Hocque erat quod rurſum aliàs *Dicebat ad Turbas*; *Cum videritis nubem orientem ab occaſu ſtatim dicitis. Nimbus venit; & ita fit.* *Luc. 12. v. 54.* *Et cum Auſtrum flantem dicitis: Quia æſtus erit, & fit. Hypocritæ faciem cæli & terræ noſtis probare; Hoc autem tempus quomodo non* *Hierem. 8. v. 7.* *probatis.* Vt ſanè haud immeritò Propheta Iudæos, *quia non cognouerunt tempus viſitationis ſuæ*, Miluis Ciconijs & hirundinibus tempora, quibus ſua commutent loca agnoſcentibus, inſipientiores fecerit. Quæ tam Redemptoris, quam Prophetæ ſuggillatio, ad hoc Danielis obliquè reſpectat oraculum: ex quo tempus aduen-

Digitized by Google

aduentus & obitus Meſſiæ ac mutandæ legis haud adeo difficili conſequi Iudæi poterant coniectura.

ANNOTATIO XXXIII.

Sunt hic quæ notentur paucula. Primum, vel corrigendum, vel leniendum, quod Iuſtinus in annales retulit: admodum puerum fuiſſe Artaxerxem, quando Artabanus Xerxem interemit. Ex Thucydide ſiquidem, Lampſaceno, M.Tullio cæteriſque palam eſt; Themiſtoclem multis annis ante cædem Xerxis adornaſſe fugam ad Artaxerxem iam tum regnantem. Diodorus quoque Artaxerxem fuiſſe ſcribit filium Xerxis ſecundo genitum, tertium porro Hyſdaſpem, qui Satrapiam regebat Bactrianorum: Artaxerxem verò complura Artabano inſluxiſſe vulnera. Et quid verba facio? quando & Iuſtino, & Diodoro teſtibus tam Artabanum, quam Darium proprio Marte Artaxerxes interemit. *Iuſtinus lib. 3.* *Diodorus Siculus lib. 11.* *Iuſtinus lib. 3. Diodor. ſuperius.*

2. *Quis verò cauſas enumeret, ob quas Artaxerxem grandiori præferre potuerit Dario Xerxes? quando & ipſe in imperio, fratri Artabazani æuo grandiori fuit antepoſitus; teſtibus Herodoto, Iuſtino, Plutarcho. Potuit quoque vterque fuiſſe deſignatus Rex, & refixo teſtamento in Darij locum ſuffectus Longimanus. Quod verò Artabanus cædem ſit auſpicatus à Dario, id quidem minimè gentium Darium potius quam Artaxerxem fuiſſe arguit ſcriptum Regni hæredem. Quin oppoſitum haud paulo aptius inde colligas. Eo præcipue quod ex Ariſtotele haurire poſſumus, Darium atrocius aliquid in Xerxem fuiſſe machinatum, quapropter illum aliquando Xerxes in crucem attolli præcepit. Quo factum, vt ad Artabani denunciationem, & protinus ſibi Artaxerxes à Dario fratre parentem induxerit occiſum, & Darium ferro transfixerit. Celeritas quippe periculi quod ſuſpicabatur, & enormitas ac probabilitas facti quod intuebatur, cogitandi ſpacium illi abſtulerant.* *Herodot. initio lib. 7. Iuſtinus lib. 2. Plutarc. lib. de amore fraterno.* *Adi Ariſtot. lib. 5. Politic. cap. 10.*

3. *Aduertendum & illud, Plutarchum rerum cæteroqui memoria non indiligentem paralogiſmo ſe pariterque alios ludificaſſe. Eius verba ſic accipe.* Thucydides & Charon Lampſacenus narrant, Xerxe iam defuncto ad filium eius veniſſe Themiſtoclem. Ephorus, Deino, Cleitarchus, Heraclides aliique complures ad ipſum Xerxem delatum ſcribunt. *Nec à Plutarcho procul abijt Æmilius Pro-* *Plutarch. in Themiſtocle.*

Æmilius Probus in vita Themiſtoclis.

bus. Sed verò neque pugnantia iſtos ſenſiſſe, neq; ea ſcripſiſſe, quæ vult Plutarchus, quiſq; ſextum breuiter recognoſcet, nec quicquam obſcurè Plutarchus ipſe oſtendit: quando prodidiſſe alios ait mortuo Xerxe, alios illodum ſuperſtite fugā iniuiſſe Themiſtoclem. Thucydides namq; cuius ex omnibus monumenta vnius viuunt, nihil, quam quod ad Artaxerxem ſcribit Xerxis filium iam tum regnantem Themiſtocles profugerit. Fruſtulum proinde illud defunćto iam Xerxe, Plutarchus aſſuit, noctem offundens luci. Sed fallaci vſus ratiocinio.

Galat. 4. v. 1.
Iudith 5. v. 23.
Exempla talia vide 2. Paral. 11. v. 2. apud Ioſeph. l. 3. Antiq. c. vlt. Tacitum libr. 4. hiſtor.

4. Minutulum videri queat quod adiungo; Thucididi dum ibidem Themiſtoclem dediſſe ait literas ad Artaxerxem Xerxis filium nuper regnare incipientem, non eam eſſe mentem, ac ſi paucis tantum ante fuiſſet menſibus Regni hæres declaratus Artaxerxes: Sed quia in fuga illa Themiſtoclea, maturus æuo regnum iam tum ipſe cum Parente vnà adminiſtrabat. Quanto enim tempore hæres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo, cum ſit Dominus omnium. Quanquam & vocula illa nuper, multorum ſubinde admittat laxitatem annorum. Quod te hiſtoria Iudith, & Indiculus Auguſti docebit Ancyranus.

Clemens Alex. lib. 1. & 6. ſtromat.
Eccleſ. 10. v. 1.

5. Iam & illud interfuerit monere; Flauij Ioſephi annalibus interdum aquam (vt dicitur) & lutum adhærere: Quod cum omnibus hoc Ioſepho commune eſt hiſtoricis. Sacras tantum literas excipio. Quod ſi Plato, Pythagoras, Thales Mileſius, cæteriq; è gentilitate ſapientes quæ ex ſacrario diuinarum depeculati fuerant literarum, immodicis inquinauêre erroribus, & tanquam muſcæ morientes perdiderunt ſuauitatem vnguenti; ſi & paucula Thucydidis verba referens Plutarchus oſcitauit; ſi denique lectiſſimi ſubinde ſcripturæ interpretes, tranſuertunt ſenſum ſine malitia: ecquid adeo mirandum ſi de Iudaico interdum furfure, quædam Ioſepho aſpergines adhæſere. Vnum pro multis dabitur caput, Annum quippe 25. & 28. ab exordio regni Xerxis pro eodem Ioſephus habuit atq; 25. & 28. regnantis Xerxis. Unde nunc τῆς βασιλείας, nunc βασιλεύοντος ξέρξου ſcripſit. Quare locum hic inuenit illud Lactantij. Quamuis veritatis arcana in parte corruperit, tamen ipſa res eo verior inuenitur, quod cum Prophetis in parte conſentiat. Quod nobis ad probationem rei ſatis eſt. Cum enim ex optimis quibuſq; planum ſit hiſtorijs, Xerxem nunquam 25. regni nedum 28 attigiſſe annum, temerè profectò Ioſephus regnante Xerxe facta ſcripſit ea, quæ Nehemiæ amplexa eſt hiſtoria: in qua tri-

Ioſeph. libr. 11. Antiq. c. 5.
Lactant lib. 7. cap. 22.
Eſd. 7. v. 14.

ceſi-

ceſimus ſecundus memoratur annus Artaxerxis. Cæterum eodem ſignificatu, Anno 20. Ioathan regnauiſſe legitur Oſee ſuper Iſrael, quo dicti Annales anno 25. regni Xerxis miſſionem Nehemiæ & encania Vrbis 28. conſignarunt. Alioqui nec Ioathan plus 16. regnauit annis. Et quanquam Richardus Victorin. Lyranus & Caietanus, annum illum 20. regni Ioathan eâ accipiant ſententia, quâ nos hic apud Nehemiam 20. Artaxerxis; ex quo videlicet ille ſuperſtite etiamdum Patre regnare occœperat; attamen bonitas cauſæ diſpar eſt. Clarè etenim ex diuina liquet ſcriptura, ea quarto regni Achaz ab exceſſu Ioathan eueniſſe anno, quæ 20. regni Ioathan conſignantur. Et ſanè ſicut maximopere fuit conueniens, vt ara reparata Hieroſolymæ non alio quam Moyſaico obnupta velo, in ſacram prodiret ſcænam: ita fuit multo maximè decentiſſimum, vt quæ ænigmatum oppanſo texerat ſcriptura ea veridicæ Templi Iudæorum Tabulæ, quaſi repando nudarent aulæo. Quo poſt rei euentum ſicut habet Ezechiel non eſſet vltra omnis viſio caſſa, neq; diuinatio ambigua in medio filiorum Iſrael: *Aliud proinde potuit Nehemias ſcribere tanquam Propheta auctoritate diuina, & hoc ipſum aliter alius:* Vt ſi non eadem verba, idem tamen ſenſus bene intelligentibus dilucéſceret; & ſacrarum ſcripturarum non tanquam humanarum, ſed ſicut verè ſunt tanquam diuinarum, etiam iſto modo commendaretur auctoritas crediturís quandoq; gentibus. *Abſit autem vt acri quiſpiam pectore Ioſephum,* cui maxima rerum, verborumque fides, *tantæ fuiſſe credat peruerſitatis atq; malitiæ, vt vbi nihil eius vel Iudæorum intererat, in ſacras apertè literas quas apprimè callebat mentiretur: vel vt ita ſibi ſuiſq; auferre ſtuduerit veritatem, vt & Chriſtianorum eadem fidelia colorare voluiſſet fidem, & ſuam ambitioſe ſuorumq; declarare proteruiam. Nec illum tamen inficior omnem ſibi ſuiſq; facultatem præcluſiſſe reſpondendi; quando propria reluctante ſcientia & conſcientia refragrantibus Prophetis, ac Maiorum Traditionibus, contradicentibuſq; Iudæorum atq; Gentilium Annalibus, clariſſimum hoc de Chriſto Redemptore noſtro Danielis vaticinium, Veſpaſiano (proch pudor) tranſcripſit:* commutans gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis. *Ita ille* Iudæorum intendens fabulis; quorum lingua & adinuentiones contra Dominum. *Etſi autem ille clauem habuerit ſcientiæ qua in ſancta ſanctorum poſſet adyta penetrare; tamen*

4. Reg. 15. v. 30
4. Reg. 15. v. 32 & 2. Paral. 27. verſ. 1.
Richard. de cõcordia Tempo. Lyran. & Caiet. in illum locum. Perer. to. 3. in Geneſ. cap. 24.
Ezec. 12. v 24. S. Auguſt. lib. 18. de Ciuitate cap. 42. & 43.
Ioſeph. lib. 7. de bello cap. 12.
Rom. 1. v. 23.

Digitized by Google

men ne in ea vnquam vel immiſit oculum. Sapientiam quippe & gloriam in myſterio crucis Chriſti abſconditam exhorruit. Horror eſt in eam intendere: Sed pie credentibus, horror hic eſt honoris & tremor amoris. Propter quod & ſancti ſeptem Angeli, ante thronum Dei & Agni, habentes Cytharas Dei cantant canticum Moyſi ſerui Dei, & canticum Agni dicentes. Magna & mirabilia ſunt opera tua Domine omnipotens. Iuſtæ & veræ ſunt viæ tuæ Rex ſæculorum. Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum; quoniam iudicia tua manifeſta ſunt. *Apocalyp. 15. v. 3. & 4.*

Epigrammata,

AD R. D. LAVRENTIVM SVSLYGAM, SS. THEOL. CANDIDATVM.

ECce in te inuadent multi. Timor omnis abeſto,
Tutatur ratio te noua, vera, vetus.
Poma noua & vetera vni ſeruaſti quia Chriſto;
Hic tibi ſeruabit poma noua & vetera.

M. Fridericus Brenner, SS. Theol. Candid.

ALIVD.

CErtabant verbis STYRIA atque POLONIA nuper
Huius an hoc ſit opus, num illius hoc ſit opus.
Illa ait; Iſte liber totus conſcriptus, & in me
Donatus Mundo eſt, hoc opus ergo meum.
Hæc ait, iſte libri genitor productus, & in me
Donatus Mundo eſt, hoc opus ergo meum.
Audijt hæc MVNDVS, quæſiuit, & intulit iſta;
Donatus Mundo eſt? Hoc opus ergo meum eſt.

Fridericus Lib. Baro à Mörſberg & Beffort.

ALIVD.

CVm multi occumbant libri, cur naſcitur iſte,
Vnum pro multis vt legat orbis opus.

Philippus Spizig, Conuictor.

Digitized by Google